SANCTI
PATRIS NOSTRI
IOANNIS CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI
CONSTANTINOPOL.

Homiliæ Tres grauiſſimæ, atque vtiliſſimæ, Latinè nunc primum editæ,

FLAMINIO NOBILIO INTERPRETE,

AD ILLVSTRISSIMVM & Reuerendiſſimum D. D. Alexandrum Perettum S. R. E. Cardinalem de Montalto.



1872

ROMAE,

Ex Bibliotheca Iacobi Bericchiæ, MDLXXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

De ſerpente, quem Moyſes crucifixit in deſerto, & De Trinitate, Sermo primus. 1
In Paralyticum qui triginta & octo annos agebat in infirmitate ſua. Io. 5. Sermo ſecundus. 19
Ex negligentia vitioſitatem, ex ſtudio virtutem proficiſci, neque vel improbos homines, vel ipſummet diabolum ſatagenti, ac vigilanti poſſe officere, idq; cum ex multis alijs rebus, tùm ex ijs quæ in Ada & Iob euenerunt, demonſtrari, Sermo tertius. 29

Digitized by Google

AMPLISSIMO CARDINALI ALEXANDRO PERETTO

CAESAR MELOTVS DEVOTISSIMVS CLIENS S. D.

OCtauus iam annus agitur, cum in familiam Cardinalis Vercellenſis, cuius nomen in benedictione eſt, receptus operam in epiſtolis ſcribendis dare cœpi Fabio Blōdo hodie Patriarcha Hieroſolymitano, eiuſq; colere diſciplinam. Fungebatur enim tunc ille eodem munere apud ornatiſsimum illum Cardinalem, quo nunc apud te fungitur, eiq; ob excellens ingenium, fidem, virtutem longo vſu, maximiſq; in rebus ſpectatam æquè charus erat, atque in præſentia tibi, ideſt vnicè. Itaque cum Cardinalis in Prouinciam Flaminiam ſedis Apoſtolicæ legatus eſſet

profectus, ac Blondum, quod perpetuò faciebat, ſecum duxiſſet, eumq́; ipſe ſequutus eſſem; nonnullos poſt menſes, cum Fauentiæ eſſemus, ibiq́; hiems traducenda eſſet, euenit, vt Flaminius Nobilius Romæ poſt emendati Decreti editionem ad viſendum Cardinalem adueniens, librum decem S. Ioannis Chryſoſtomi homiliarum Romæ paulò ante græcè impreſſum afferret, eas q́; homilias longis illis noctibus Cardinali non modò legeret, ſed etiam ab eo inter legendum inuitatus latinè redderet, non raro ipſius etiam Cardinalis iudicium exquirens, tanta ſanè cum optimi illius, & benè docti Principis voluptate, vt nullas vnquam ſibi horas fluxiſſe iucundius affirmaret. Quamquam & aliàs ſæpe Flaminium egregia tractantem argumenta audiuerat (eius enim conſuetudine non ſolùm ob illius eximias animi virtutes, præſtantemq́; in omni diſciplinarum genere doctrinam, ſed etiam ob ſingularem morum ſuauitatem mirificè delectabatur:) Sed hæ Chryſoſtomi, erga quem præcipuo quodam ſenſu erat affectus, homiliæ præclarum ei quiddam, ac planè diuinum ſpirare videbantur. Quare dum eo modo legerentur, & verterentur, me intereſſe voluit, qui interpretatio-

nem

Digitized by Google

nem calamo exciperem, neque vllo pacto ſinerem perire. Quod ego & Cardinalis iuſſu, & mea ipſe ſponte libentiſsimè feci. Magnoperè enim cupiebam, vt quemadmodum pleraq; alia ſanctiſsimi illius, & eloquentiſsimi viri monumenta latinitate donata ſunt, ita harum etiam homiliarum, quæ & ſententiarum grauitate, & verborum ſplendore eſſent inſignes, copia noſtris hominibus fieret, de eoq; mihi etiam nonnihil deberent. Verùm Flaminius citò ad Romanos labores iuſſu Pontificis reuocatus totum opus abſoluere nequaquam potuit: & nos haud multo poſt cum Cardinali Vercellas profecti, inde tranſactis aliquot menſibus Romam ad comitia Pontificia venimus. Vbi poſt maximam illam, & communem Cardinali, familiæ vniuerſæ, toti orbi Chriſtiano ex Sixti V. Pontificatu lætitiam, vt nihil in rebus humanis ſimplex eſt, citò conſequuta acerbiſsima Cardinalis mors omnes rationes meas perturbaſset, atque euertiſset; niſi eadem Blondi benignitas affuiſset, qui me, vt dicebam, eodem atque antea, munere apud ſe fungi in tua familiaritate voluit: quod ego in bona, magnaq; parte felicitatis pono. Hoc ſummo beneficio recreatus,

cum

Digitized by Google

cum ſubſeciuis horis volumina quædam meorum ſcriptorum verſans homilias illas relegiſſem; tres mihi potiſsimùm ita ſuis abſolutæ numeris viſæ ſunt, vt magno cum legentium fructu vulgari poſsent: easq́; illas eſſe memoria tenebam, quæ à me Rauennæ Cardinali S. Praxedis, cum illhac iter faceret, ad menſæ condimentum ſemel atque iterum perlecta maximos, & à ſanctiſsimo, doctiſsimoq́; illo viro, & à ceteris, qui aderant, plauſus, atque acclamationes reportaſſent. Ad Flaminium igitur adiui, rogans eum, vt illas mihi ad ſtudioſorum vtilitatem edere, ac tuo ſplendidiſsimo nomini ad mea deuotiſsimæ ſeruitutis teſtificationem inſcribere per ſe liceret. Ille verò qua eſt humanitate, atque erga amplitudinem, ingenium, virtutem tuam ſtudio animiq́; inductione, facilè ſe exorari paſſus eſt; cum id ſibi tantùm dolere diceret, quòd non maiorum vigiliarum opus eſſet: tibi enim maxima omnia deberi. Sed ſæpe animaduerti clarorum artificum parua etiam ſigilla magno in precio apud Principes viros eſſe, eosq́; vehementer tenere, ac delectare. Quamobrem non mihi veniebat in mentem vereri, ne ob auctoris ex aureo illo

ore

ore ſuauiſsima , Catholicaq; Eccleſiæ ſalutaria doctrinæ , & eloquentiæ flumina fundentis præſtantiam , cuius laudatiſsimus Cardinalis Varmienſis Flaminium ſolitus erat γνήσιον interpretẽ nominare, munuſculum hoc libenter eſſes accepturus : niſi ſi fortè offerentis manus planè vilis de illius æſtimatione detrahit ; quæ tamen manus , quòd vnà cum omnibus intimis ſenſibus meis, ſumma certè fide, & ſedulitate ſub optimo magiſtro Patriarcha Amplitudini tuæ deſeruit, nonnihil inde dignitatis acquirat, neceſſe propemodum eſt. Tuas ego interea beneficentia præſtantes humillimè oſculor, & omnia tibi bona à Deo immortali cupidiſsimè precor.

Digitized by Google

152 09242

Digitized by Google

Miſcellanea 513-3

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS ARCHIEP. CONSTANTINOPOL. CHRYSOSTOMI

SERMO

De ſerpente, quem Moyſes crucifixit in deſerto, & De Trinitate.

HERI nobis oratio progreſſa eſt in certamen aduerſus hæreticos, & in contentionem pro Vnigeniti gloria; non vt ea, quæ recondita ſunt, patefaciat; ſed vt grata memoria proſequatur accepta beneficia. Non enim ex his, quæ nos loquimur, Chriſtus honore augetur; ſed ex ijs, per quæ nos honore aucti ſumus, grato animo beneficentiam ipſius prædicamus. Eſſet enim abſurdiſſimum eos, quibus re ipſa benefactum eſt, ſilentio beneficentiam remunerari; preſertim cum propheta Dauid cohortetur nos, & dicat, vt paulo ante audiuiſtis, ***Omnis terra adoret te, & pſallat tibi***. Hymnis celebremus Deum, non honorem ipſi afferentes, ſed nos ipſos honore afficientes: glorificemus Deum, non illi gloriam gratificantes, ſed nos ipſos immortali gloria veſtientes. Etenim, ***glorificantes me***, inquit, ***glorificabo; & qui contemnunt me, contemnentur***. Oſtendit oratio noſtra in concertatione illa, quantum vires noſtræ tulerunt, nefas eſſe tranſcendere terminos gloriæ Dei: nefas eſſe hominibus, qui in terra degunt, nefas angelis, qui in cælo, nefas Archangelis, & principatibus, & ipſis Cherubim, & Seraphim. Meminiſtis autē (meminerunt, ſat ſcio, quicumq; ex auditoribus diſcēdi cupidi

Pſal. 65.

1. Reg. 2. *paulo aliter.*

Prou. 22.

 ſunt)

ſunt) ſermonem nobis de hoc argumēto expeditum, confectúmque eſſe.
Sed quoniam hodie, fratres, ipſemet Rex gloriæ ſuam ipſius crucem prę-
nunciauit, & Apoſtolus regiam Saluatoris vocem inſequens de cruce
Matt. 20. philoſophatus eſt, (Nam Dominus quidem dicebat diſcipulis: *Ecce a-*
ſcendimus Hieroſolymam: & filius hominis tradetur in manus inimicorum.
Galat. 3. Paulus autem Galatas obiurgans ſcribebat: *Quis vos faſcinauit? ante quo-*
rum oculos Ieſus Chriſtus proſcriptus eſt, in vobis crucifixus.) Quoniam
† *Quod in* igitur & regia Domini vox audita eſt, & doctrina miniſtri fidelis ſecuta
impreſſo eſt regia veſtigia; neceſſarium arbitror, † ac ſalutare nos etiam pro viribus
eſt, τὴν σω de cruce Domini ea loqui, quæ ſint conſentanea; non quòd rei dignita-
τήριον, *cor* tem aſſequi dicendo poſsimus, ſed vt officium debitum, quantum in no-
rigendum, bis eſt, perſoluamus. Quid igitur inquit Saluator? *Ecce aſcendimus Hie-*
καὶ σωτή- *roſolymam; & filius hominis tradetur.* Prædicit paſsionem victor mor-
ριον. tis: prænunciat crucem ille, qui cruce mortem diſſoluebat: prænunciat
Matt. 20. luctam, vt prædicet victoriam. Hic rurſus fige mentem tuam, in conſi-
deranda voce Domini. Vide quanta cum auctoritate dicat: *Ecce aſcen-*
dimus Hieroſolymam: & filius hominis tradetur ad crucifigendum. Qui
hæc prenunciat; poſtea cum in ipſo iam certamine eſſet, mutat dignitatē
Matt. 26. auctoritatis, & recuſat maieſtatem deitatis ſuæ, ita dicens: *Pater ſi poſſi-*
bile eſt, tranſeat à me calix. An non vides, quàm iſta inter ſe diſſonent?
cogita œconomiam, & ſuſceptum ab illo munus in natura humana. Ve-
rum ad propoſitum redeamus. Inquit diſcipulis: *Ecce aſcendimus Hie-*
roſolymam; & filius hominis tradetur. Vide quam cauta vſus ſit voce.
Vbi prædicat paſsionem; humanam oſtendit naturam, *filius hominis tra-*
detur. Patitur enim corpus, quod ſub aſpectum cadit: viuificat autem
maieſtas, quæ mente percipitur, deitatis: & morte quidem, fratres, ſolui-
tur figura corporis: ſuſcitat autem quod ſolutum eſt, poteſtas eius, qui
in eo habitabat. Ipſe erat qui ſoluebatur ſecundum corpus: ipſe, qui ſe-
Ioan. 2. cundum ſpiritum ſuſcitabat id, quod ſoluebatur. Nam *Soluite*, inquit,
templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ecce aſcendimus Hieroſo-
lymam. Sequentibus Chriſtum numquam licet deſcendere, ſed perpetuo
aſcendendum eſt. Et quemadmodum etiam ſub ipſo ſenſu via à Hieri-
cho in Hieroſolymam accliuis erat, & aſcendebat; ita etiam, quod ad
mentem, atque intelligentiam pertinet, paſsio ipſa ferebat ad aſcenſum
reſurrectionis. Ipſum enim Adam, qui in infernum ceciderat, reuoca-
bat in cælum; & imaginem, quæ humi iacebat, in ſublime euehebat. *Aſ-*
cendimus Hieroſolymam. Vbi Deus; ibi eſt virtutis aſcenſio: vbi vitium;
ibi iniquitatis deſcenſio. Propterea de his quidem, qui ſecundum virtu
Pſal. 83. tem viuunt, inquit Dauid: *Beati omnes, qui habitant in domo mea: in ſæ-*
ſed paulò *cula ſęculorum laudabunt te: Beatus vir, cuius eſt auxilium eius à te: aſcen*
aliter, q̃ *ſiones tuæ in corde ipſius. Aſcenſiones tuę*, id eſt cogitationes piæ, & ſubli-
in vulgata mes, quę in altum euehunt illos, qui recte ſentiunt de Deo. Via igitur
etiā græca temperantiæ eſt via, quæ in altum euehit, via iuſtitię in ſublime fert: atque
omnis,

Digitized by Google

omnis vt ſemel dicam, via pietatis in altitudinem illam manu ducit amicū Dei: de qua dicebant ij, qui ex gentibus veniebant: *Venite, aſcendamus ad montem Domini, & domum Dei Iacob.* Vbi quidem pietatis ratio; ibi etiam aſcenſus: vbi autem vitium; deſcenſus manifeſtus. Quod etiam teſtatur Propheta Dauid, ita dicens: *Libera me à deſcendentibus in lacum.* & rurſus: *Qui exaltas me de portis mortis.* Quare neque illud, *aſcendimus*, ſuperuacue, & fruſtra dictum eſt. *Ecce aſcendimus.* Atqui ſolus ipſe ad paſſionem accedit. Cur igitur ſcriptum eſt communiter *Aſcendimus?* Quoniam paſsio quidem, inquit, mea; communis autem omnium hominum ſalus. Propterea diuinus Apoſtolus, vt paulò ante audiuiſtis, generoſam illam, & admirationis plenam vocem erupit: *Simul cum Chriſto crucifixus ſum: Viuo autem iam non ego; viuit verò in me Chriſtus.* Verumtamen fructum quoque crucis volens oſtendere, hæc in verbis ſequentibus ſtatim attulit: *Chriſtus vos redemit de maledicto legis, factus pro vobis maledictum, quia ſcriptum eſt, Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Hic mihi diligenter mentem adhibe, ne te fugiat veritatis indagatio. Statim enim contradicent Iudæi, de quibus inquit Paulus: *Inimici crucis Chriſti, quorum finis interitus.* Atque ita dicent; nimirum ad ſimpliciores. Si maledictus eſt, qui pendet; quomodo ab eo, qui maledictus eſt, datum tibi iri benedictionem ſperas? quomodo autem ab eo, qui morti ſuccubuit, vitam expectas? Quod ſub aſpectum cadit, quemadmodum ipſe etiam, inquiunt, doctor veſter Paulus confeſſus eſt, maledictum eſt: *Quia ſcriptum eſt, maledictus qui pendet in ligno.* Ergo ſi ſcriptum eſt, & Paulus teſtatur; quomodo ab eo, qui maledictus eſt, datur benedictio ijs, qui crucem amplexantur? Hæc ſemper & profert, & dicit Iudæus inimicus crucis Chriſti. Igitur, ſi aduerſus te dixerit, quomodo qui maledictus eſt, dat benedictionem? dicito ipſi, quomodo ſerpentes in eremo mordebant progenitores tuos, imaginem verò ſerpentis æream cum feciſſet Moyſes, eam crucifixit, ac dixit, *Quicumque percuſſus fuerit à ſerpente, aſpiciat ſerpentem, & ſanabitur?* At enim, inquit Iudæus, quid hoc ad illud, quod propoſitum eſt? Quinimo aptiſsime conuenit. An non audiſti, cum Deus ita diceret, *Maledictus es ſuper omnes beſtias terræ?* Quomodo igitur imago maledicti vitam attulit progenitoribus veſtris? Repeto quod dixi, vt ſtabiliam argumentationem. Si abſurdum tibi videtur à maledicto profluere benedictionem (*Maledictus enim omnis, qui pendet in ligno*) quomodo imago Serpentis, qui maledictus eſt, qui audiuit, *Maledictus es ſuper omnes beſtias*, attulit populo in calamitate illa iacenti ſalutem? An non erat magis conſentaneum & credibilius ita dicere, ſiquis veſtrum percuſſus fuerit; reſpiciat ſurſum in cælum erga Deum, & ſanabitur? Vt autem & cælum omittatur, non ne poterat dicere, ſiquis percuſſus fuerit; reſpiciat in candelabrum luminis, & ſanabitur? vel, reſpiciat in menſam propoſitionis ſanctorum panum; & ſanabitur? vel, in altare? vel, in velum? vel, in arcam? vel, in imaginem ipſorum Cherubim? vel, in propitiatorium? Sed

Eſaiæ 2.
Pſa. 29.
Pſalm. 9.
Gal. 2.
Galat. 3.
Philip. 3.
Galat. 3.
Num. 21.
Gen. 3.

Digitized by Google

nihil horum attulit Legiſlator ille magnus, ſed ſolam fixit crucis imagi-
nem, & hanc per maledictum ſerpentem. Cur igitur ò Iudæe hæc facit
Exo. 2. & Deuter. 5. Moyſes? cur fundit ſerpentem ille, qui per legem inquit, *Non facies ſcul-
ptile, neq; fuſile?* Sed quid hęc aduerſus ingratũ, & male ſentientẽ loquor?
ipſum interrogo Legiſlatorem. Dic mihi ò fideliſsime Dei miniſter; quod
vetas, tu ipſe facis; quod prohibes, apparas? qui dicis, non facies neque
ſculptile, neque fuſile, tu ipſe fundis & ſculpis ſerpentem? Sed illa quidẽ,
inquit, lege ſanxi, vt occaſiones præcidam impietatis, & populum hunc
abducam ab omni idololatria: nunc autem fundo ſerpentem, vt formem
imaginem œconomiæ & miſterij crucis: præſterno curſum Apoſtolis: iã
ante exerceo animos ad magnum illud & inuſitatum inſigne crucis. Ne
autem hęc tibi ratio per vim extorta videatur; audi Dominum ipſum ima
ginem illam antiquam confirmantem, & ad ſeipſum referentem. Diſſe-
rens enim cum Nicodemo principe quodam Iudæorum, tanquam cum
doctore populi, & eo, qui percipere poſſet rationem œconomię, & myſte-
Ioan. 3. rij huius, ita inquit: ***Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ita
exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed
habeat vitam ęternam.*** Dic igitur ò ſtolide Iudæe, non ne æs erat illud?
Mortua materies, quòd typum & rudem formam haberet crucis, vincere
mortem potuit; & ipſius crucis veritati non creditur? idque poſt orbis
conuerſionem, poſtquam ſtatus pietatis effulſit in vniuerſo mundo, poſt
gentium fidem, poſt erectionem Eccleſiarum, poſt tantum certamẽ, poſt
tantam, ac tam exquiſitam virtutis, ac pietatis exercitationem, poſtquam
ratio vitæ tam Euangelica tantos progreſſus fecit? Ceterum apertè de-
monſtratum eſt, quomodo inimicis crucis præcludatur aditus, ne nobis
exprobrent figuram maledicti. Et aduerſus quidem illum hæc ſatis ſunt.
Nos autem, qui fideles ſumus, nobiſcum ipſi perquiramus, atque exami-
nemus intimam verborum vim, ac ſubtilitatem. Cur ſane Dominus
imaginem œconomię, & myſterij illius non per aliud quippiam, ſed per
ſerpentem fecit? Nam ad oppugnationes quidem aduerſariorum ſatis eſt
opponere, ac proferre ſerpentem maledictum. Verum ad explendum ijs
animum, qui filij pietatis ſunt, quęrimus, cur figura maledicti ſerpentis
facta ſit imago adorandi Chriſti. Quamobrem eſt, quòd & nos diligen
tiam in dicendo adhibeamus, & vos in audiendo attentionem, & alacrita-
tem. Typus ille ſerpentis erat, fratres, imago œconomiæ & myſterij cru
cis. Quod autem ad modum, & rationem ſimilitudinis pertinet, quem-
Hac addidimus ex coniectura. admodum typus ille ſerpentis, imaginem quidem & aſpectum ſerpentis
habebat, [*non autem venenum*;] ita etiam Saluator cum ſecundum diuinũ
Apoſtolum in ſimilitudine carnis peccati ſe oſtendiſſet, expers fuit om-
nis peccati: prout beatus etiam Eſaias beato Paulo concinens inquit: ***Qui
Rom. 8. peccatum non fecit: neque inuentus eſt dolus in ore eius.*** Habes ſecundum
Eſa. 53. & 1. Pet. 2. Eſaiam vnam imaginem: accede mihi & ad aliam imaginem. Intuere per
typos, & vmbras elucentem veritatem. Serpentes mordebant filios Iſ-

rael

Digitized by Google

rael: Cum populus in perniciem, atque exitium illud incidiſſet; Moyſes
obſecrat Deum, vt det medicamentum,quod afferat ſalutem. Deus mi-
niſtro ſuo medicamentum ſalutare oſtendit,& inquit: *Fac ſerpentem æ-* Num. 21.
neum: & fige illum ante tabernaculum teſtimonij. Quid ſibi vult hoc ſi-
gnum? Alij erant ſerpentes, qui mordebant; & alius, qui pro ipſis cruci
figebatur. Quid ſibi vult hoc ænigma? Quid adnunciat hæc vmbra my
ſterij? Quemadmodum ibi, inquit, ille, qui typus erat aliorum ſerpen-
tium mordentium, qui neque mordebat neque vulnerabat,affigebatur li-
gno; ita alijs hominibus peccantibus, futurum eſt vt pro omnibus patia-
tur IESVS peccati expers. Pro ſerpentibus, qui mordent, crucifigitur ſer-
pens peccati expers. Pro nobis, qui ſubiecti ſumus morti, clauis confi-
gitur ille, qui peccato non eſt ſubiectus: quod quidem vna cum alijs be-
nè prænunciauit Eſaias in hunc ferè modum dicens: *Pro peccatis populi* Eſa.53.
venit ad mortem: & Dominus tradidit ſeipſum pro peccatis noſtris. Rur-
ſus hæc myſterij ratio repetenda, & concludenda eſt. Quemadmodum
ibi alij erant, qui mordebant, & alius, qui figebatur;ita & hic omnes pec
cauerunt, & vnus eſt,qui pro ipſis crucifigitur. Habes ſecundam imagi
nem: contemplare mihi & aliam tertiam imaginem: *In ore duorum, vel* Deut.19.
trium teſtium ſtabit omne verbum. Ecquid cauſæ eit, quamobrem cruci- Matt.18.
figatur ſerpens æneus? vt ceſſarent morſus ſerpentium. Alius igitur erat, 2.Cor.13.
qui crucifigebatur, & alij, qui ceſſabant mordere. An non vides effica-
ciam veritatis? An non cernis in littera,quaſi in occulto,vim tamen,& po
teſtatem œconomiæ ſeſe oſtendentem? Crucifixus, inquit, ſerpens eſt,
vt ceſſent draconum morſus: crucifixus eſt Chriſtus, vt ceſſen dæmo-
num operationes. Alius eſt ſerpens, qui figitur, & alij, qui ceſſant,draco-
nes: alius, qui in cruce, Chriſtus, & alij, qui ceſſant,dęmones: & quem-
admodum ibi imago ſerpentis, qui ſpeciem tantum ſerpentis habebat,fe-
cit, vt ceſſarent morſus ſerpentium; ita & hic Chriſti mors fuit mortis
mors,& dæmonum euerſio. Iure igitur Saluator imaginem hanc ſibi ip-
ſi aptans dicebat: *Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exal* Ioan.3.
*tari oportet filium hominis; vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed ha-
beat vitam æternam*. Habes frater beatum Moyſem & in alia figura deſcri
bentem crucem: & quo modo, audi. Oportet enim de cruce dicentes
exhibere multas huius myſterij contemplationes. Inuaſerant aliquando
in Iſraelitas alienigenę iuxta deſertum. Alienigenis autem illis nomen erat Exod.17.
Amalech. Mittit Moyſes Ieſum Naue, qui dux eſſet gentis ſuæ in præ-
ſio; & armat quidem ſucceſſorem ſuum, manet autem ipſe in monte,ex-
ten dens manus. Etenim, *Moyſes*, inquit, *aſcendit in montem, & expandit
manus ſuas: cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, & vbi demitte
ret, à corporea grauitate victus, ſuperabat Amalec*. Quid vult hęc figu-
ra? Iudęus timens, ne per imaginem hanc eluceat gloria crucis Chriſti,
ſtatim inquit,nihil habet ex ijs, quę tu comminiſceris. Orationis typus
erat figura illa, non imaginis, vt tu opinaris. Et cur, ſi verè victoria erat

fructus orationis; non ipſi orationi victoriam adſcripſit ſermo diuinus. Non enim dixit ſcriptura: *Cum oraret Moyſes*, ſed, *cum leuaret manus*. Hoc enim oſtendentis eſt, vere victoriam non fuiſſe fructum orationis, ſed imaginis, ac figuræ manuum. Vbi enim demitteret Moyſes manus, ſuperabatur Iſrael: vbi autem expandebat; ſuperabatur Amalec. Nam ſi effectum illud fuiſſet orationis, ita oportebat dicere, *Et cum orabat Moyſes, vincebat*. Sed quemadmodum antea dicebam, prætermittens orationem, non tamquam inutilem, ſed tamquam eam, quæ deberet concedere imagini ipſius crucis; victoriam ipſam typo, & ſigno acceptam refert. Cum enim Moyſes expandebat manus; vincebat Iſrael. Quid ſibi vult manus expaſſa? Deſcribe apud teipſum manus expaſſas, vt videas imaginem effulgere adorandæ crucis. Verum laborabat, inquit, & defatigabatur Moyſes: non enim valebant manus ſeruire imagini, victæ à grauitate corporis. Quid igitur? Vt ne ſoluta imagine ſolueretur etiam victoria; adſtant Aaron, & Or; & leuabant ipſius manus: vt ne imago crucis omiſſa, & ceſſans victoriam extinguat. Cur autem omnino Aaron, & Or ſubſtentant manus? Aaron ſacerdotalem fratris obtinebat dignitatem: Or autem regiæ tribus cognationem habebat. Adſtant igitur imagini crucis quaſi ſatellites, ſacerdotium, & regnum. Et quemadmodum cum in monte transformatus eſſet Dominus, apparuerunt Moyſes, & Helias, a dextris, & à ſiniſtris, vt regiam Chriſti imaginem quaſi ſatellites ſtiparet; ita & hic Aaron ordinem ſacerdotij obtinens adſtat cruci, itemque Or primum habens regiæ dignitatis florem cruci adſtat. Hæc mihi dicta ſint, vt oſtendam apud antiquos illos patres introductam fuiſſe imaginem ipſam, atque in honore fuiſſe ipſum œconomiæ, & myſterij typum. Quod ſi, qui prænunciabant, tanta cum gloria prædicarunt, & tanto cum honore præfigurarunt; quibus, & quot, & qualibus linguis nos prædicabimus crucem Domini, & diuinam illam œconomiam, atque myſterium? Noui magno vos teneri deſiderio orationum dogmaticarum & inſtitutionum Theologicarum. Verum ea etiam, quæ nunc dicta ſunt, illorum ſunt affinia, & germana. Etenim eiuſdem mentis ac ſententiæ eſt, & crucem prædicare, & vnigenitum Deum verbum exaltare. Quàobrem ſiue diuinitatem vnigeniti celebres, ſiue œconomiam, & aſſumptæ humanitatis rationem honores; vna, eademque eſt pietatis demonſtratio. Tantummodo, cum audieris crucem, cum audieris œconomiã, & rationem aſſumpti corporis; extollas cogitationem ad altitudinem poteſtatis Vnigeniti: nec figura, quæ propter te facta eſt, deijciat; ſpiritus tuos; ſed humanitas corporis extollat cogitationem, & mentem tuam. Nam crux quidem propter te: dignitas autem Dei per ſeipſum. Dignitas autem Dei non exaltatur ſermonibus, non deprimitur ſermonibus: ſed qui deprimunt; ſuam ipſorum depreſsionem ac deiectionem moliuntur: qui autem exaltant; ſuam ipſorum vilitatem euehunt in ſublime. Quemadmodum igitur antea dicebamus, manifeſtum eſt, & eum, qui œcono-

Et hæc ex coniectu-ris reponi mus.

Matt. 17.

Digitized by Google

conomiam, ſuſceptumque in carne munus, & eum qui theologiam, ideſt verbi diuinitatem celebrat; eidem inhærere ſententiæ. Ceterum quoniam in ijs, quę heri à nobis tractata, & diſputata ſunt in ea verba, *Vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti, Dominum Ieſum Chriſtum*, defuit quiddam; & ad illud quidem, *Solum verum Deum*, allatæ ſunt prophetiæ, & teſtimonia, quibus demonſtratur filium quoque eſſe ſolum verum Deum; neceſſarium exiſtimo reliquorum etiam verborum peragere contemplationem. Quamquam inquit hæreticus, quid verò rurſus habes, quod afferas aduerſus dictionem illam, *Miſſum*? Literatè enim, & ad verbum ita eſt ſcriptum: *Et quem miſiſti, Ieſum Chriſtum*. Nunquid ille qui miſit, ei qui miſſus eſt, æqualem habet honoris gradum ac dignitatem? Hæc quidem ſi ita legas, vt litteræ, ac dictioni ſeruias, ſæpe, prout antea diximus, magnam inuenies, vt verum fatear, aduerſus nos pugnam; neque rationibus ipſis ea erunt conſentanea, & conuenientia, quæ bene quidem ſcripta ſunt, malè autem intellecta. Quod ſi ad ipſam veritatem reuoces cogitationem; nunquam tibi ad pugnam, atque abſurditatem vllam conuertetur mentis oculus ab ipſo met ſancto ſpiritu ad ſubtilem, exquiſitamque intelligentiam ductus. Nam illud quidem, *Miſſus eſt*, &, *miſit*, humana præfert verba, diuina autem prædicat ſenſa. Non enim qui miſit, è locis in loca miſit: neque qui miſſus eſt, è locis in loca venit. At enim, *Miſit*, inquit, *pater filium in mundum*, tamquam eum, qui non adeſſet præſens mundo, ad quem mittebatur. Quomodo igitur inquit ſcriptura de ipſo Domino: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt?* Quomodo igitur venit, qui pręſens erat? nimirum apparuit, qui latebat. Quòd ſi, vt audis, ita etiam verè & propriè putas accipiendum illud, *Miſit*; neceſſarium omnino eſt, & eum, qui miſſus eſt, ijs adeſſe locis, quibus antea præſens non erat, & eum, qui miſit, eo mittere, vbi ipſe non adeſt. Quomodo igitur Euangeliſta dicebat: *Omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil: in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt*? Ergo ſi erat in mundo; quomodo mittitur in mundum? An non audiſti ipſum dicentem: *Cęlum, & terram ego impleo, dicit Dominus*? Quid igitur ſibi vult illud, *Miſſus eſt*? Sumitur nimirum pro, *apparuit*, pro, *effulſit per carnem*. Miſsio enim non eum tranſitum qui è loco ad locum eſt, ſignificat, ſed eum, qui ab inuiſibili deitate ad euidentem præſentiam. Etenim neque cum peregrinatus eſt atque habitauit in terra ſecũdum humanam œconomiam, atque ſuſceptum in carne munus; cælos vacuauit ſua ipſius dignitate: neque nunc aſſumptus ſecundum carnis aſſumptionem, terram reliquit deſtitutam ſua cura, & gubernatione. Rurſus alio modo diſputationem agitemus. Si ſecundum dictionis proprietatem, fratres, miſit pater filium in mundum; perſpicuum eſt eum, qui miſit, ab eo, qui miſſus eſt, ſeparari ſecundum proprium ſtatum, ac ſedem. Nam ſi vnà cum ipſo eſt, ſuperuacuum eſt illud, *Miſit*. Sin autem miſit; neceſſe eſt, quod ad proprietatem, & vim locutionis pertinet, ſeparatum fuiſſe. Verum

Ioan. 17.

Quomodo vna perſona dicatur ſolus Deus vide infra in hac eadem Homilia: & eſt ad hoc regula Theologica.

Ioan. 1 o.

Ioan. 1.

Hier. 23.

Digitized by Google

rum minime ſeruiendum eſt litteræ, & dictioni, ſed fidei obſecundandū. Ecquis autem nobis ſermo teſtabitur ipſum cum in terra apparuit, fuiſſe in cælis? Ecquis autem ſermo teſtabitur, cum à patre miſſus eſt, à patre nequaquam ſeparatum fuiſſe? Si miſſus in mundum proprie eſt, quemadmodum dictio ſonat, ſi qui miſit, ab eo, qui miſſus eſt, ſeparatus; quomodo dicebat: *Ego in patre, & pater in me eſt?* Quomodo autem rurſus dicebat: *Et qui miſit me pater mecum eſt?* Vides naturam minime ſeparari, ſed figura illa, & vocabulo miſsionis demonſtrari œconomiam, & ſuſceptum in carne munus? Quid igitur ſibi vult illud: *Aſcendo ad patrem meum.* Etenim ſi pater cum ipſo eſt; cur aſcendit? Aſcenſio œconomiã indicat, aſſumptionem corporis, non deitatis diſtantiam. Vis autem cognoſcere, quemadmodum cum in terra peregrinatus eſt, cælos non dereliquit, neque à patre ſeparatus eſt, ita etiam in cęlos aſſumptum terram non reliquiſſe ſolam, & ſine ſe? Qui dixerat ad ſuos diſcipulos: *Sed aſcendo, vnde deſcendi, ad patrem meum,* Ipſe rurſus ad illos dicit: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſũmationem ſeculi.* Illud igitur, *Vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtũ,* duplicem notionem habet, & duplicem gladium; vnumquidem paratum, ac ſtrictum aduerſus idololatriam, alterum vero inſtructum aduerſus Iudæorum contumaciam fidei & perſuaſioni reſiſtentem. Etenim ſolum quidem verum Deum dicit, vt mortua idola notet: miſſum autem Ieſum Chriſtum, vt ijs obſtruat os, qui œconomiam, & aſſumptum in carne munus negant. Accipe igitur verba, prout ſententia poſtu lat; & ne dignitati inferas iniuriam per dictionem & litteram ipſam. Atque vt exquiſitè cognoſcas, quòd eſſe miſſum à Deo non è locis ad loca tranſlationem ſignificat, ſed œconomiæ, & muneris in carne ſuſcepti declarationem; de Ioanne Baptiſta inquit Euangelium, homine, qui de terra erat, & è terra apparuerat, *Fuit homo miſſus à Deo.* Nunquid igitur è cælis miſſus erat Ioannes? num de ſupero loco venerat? Quomodo igitur venerat? Itane? homo quidem miſſus non tranſlatus eſt è loco ad locũ: ſed commiſſum ſibi munus ſuſcepit. Deus autem verbum, is qui omnia implet, ſi ſeipſum dixerit miſſum, naturę ſuę contumeliam intulerit, ac non potius ſuſceptum ſibi munus declarauerit? Vide ipſum frater & ſuſceptum ſibi in carne munus implentem, & non euertentem diuinę poteſtatis dignitatem. Vide autem ſacerdotalem etiam figuram: *Aſcendo ad patrem meum, & rogabo ipſum, & paracletum mittet vobis ſpiritum veritatis.* Si aſcendis ſurſum, & rogas, & rogans impetras, & poſtquam rogaſti, mittis ſpiritum (rogo enim, dicebas, & mitto;) cur ante aſcenſionem ſoluis auctoritatem patris? ſi non agis pro auctoritate ſecundum diuinã dignitatem, ſed expectas donec aſcendas ad patrem in cęlum, & obſecrationem, & ſupplicationem adhibeas, ac tunc demum accipias ipſius ſpiritus gratiam, atque in omnem emittas orbem; cur, antequam aſcenderis, antequam rogaris; propriam præ te fers auctoritatem? Cur ante aſſumptio-

Ioan. 10. Ioan. 8. Ioan. 20. Matt. 28. Ioan. 17. Ioan. 1. Ioan. 14.

Digitized by Google

ptionem, cum è mortuis ſurrexiſſes, inſufflaſti in facies Apoſtolorum, & inquis: *Accipite Spiritum ſanctum?* Quod petendum tibi à patre eſt, priuſquam patri ſupplices, das? Ergo ironicè agis, dum ſimulas te petere? Non ironicè, inquit, ago: non enim ironiæ locus eſt in ipſa veritate: ſed alterum quidem aptum eſt dignitati; alterum verò conuenit ſuſcepto in carne muneri. Cur igitur inſpiraſti in facies Apoſtolorum? Oportebat me, inquit Saluator, cum è mortuis ſurrexiſſem, gratificari mundo primitias vitæ. Etenim quoniam Adam, cum formatus eſt, accepit ſpiraculum vitæ: (*Inſpirauit enim Deus, inquit, in faciem Adæ, & factus eſt in animam viuentem*) quod ille acceptum perdidit; id ego præſens reuoco: erigo eum, qui ceciderat; renouo eum, qui putruerat; viuifico eum, qui occubuerat. Huic autem meo ſuſcepto muneri teſtimonium etiam dat Propheta clara voce prædicans hanc meam inſpirationem? Ecquis verò Propheta eſt, qui clara voce prænunciet ſanctam hanc inſpirationem? Audi, inquit, Prophetam dicentem, vnum è duodecim, cui nomen Naum. *Celebra Iuda dies feſtos tuos: redde Deo vota tua: non committent vlterius, vt veniant ad antiquitatem.* Perfecta ſunt, inquit, prima: non committent vlterius, vt redeant ad antiquitatem: nouam gratiam euangelizat: quandoquidem vetera ceſſarunt; noua florent. *Celebra dies feſtos tuos.* Cur dieі feſti mentionem facit? quoniam in die feſto Paſchatis futurum erat, vt reſurrectio floreret: *Celebra, inquit, Iuda dies feſtos tuos: redde Deo vota tua: non committent vlterius, vt veniant ad antiquitatem: perfectionem, atque abſolutionem acceperunt.* Ideſt, prima illa finem habent. Et cur prima illa finem habent? Etenim. *Aſcendit, inquit è terra is, qui inſpirat in faciem tuam, & qui extrahit te è tribulatione.* Sed iterum hæc ab initio tractemus. *Celebra Iuda dies feſtos tuos: redde Deo vota tua: non committent vlterius, vt veniant ad antiquitatem.* Quinam erant hi dies feſti? Omnes enim illi veteres imaginem nouorum ferebant. Primus azimorum dies diligenter perpendentibus erat paſsionis imago. Poſt hunc dies Pentecoſtes erat ipſe quoque imago implantationis ſancti, & adorandi ſpiritus. Dies autem tabernaculorum imago ipſe quoque eſt tabernaculorum cæleſtium. In huiuſmodi quidem die oſtendens ſe Dominus, quoniam illa tabernacula temporalia erant, cum demonſtrare vellet, illa eſſe typum & figuram tabernaculorum futurorum, dicebat ad eos, qui in mundo diuitijs abundant: *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Temporalia igitur tabernacula typus erant æternorum tabernaculorum. Quoniam igitur ſuſceptum à Chriſto munus veteres quidem typos, ac figuras implebat, nouam autem gratiam efloreſcere faciebat; benè Propheta prænunciat dicens: *Celebra Iuda dies feſtos tuos: redde Deo vota tua.* Idque ſignificant ſequentia: *Non committent vlterius, vt veniant ad vetuſtatem.* Renouata enim ſunt vetera per gratiam; perfectionem, atque abſolutionem acceperunt: *Aſcendit enim è terra is, qui inſpirat in faciem tuam, atque extrahit te ex*

Ioan. 20. *Gen. 2.* *c. 1. & 2. apud 70. ſed verbis nonnihil mutatis.* *Luc. 16.*

Digitized by Google

te ex tribulatione. Verùm Propheta quidem Naum nudè tibi repræſen-
tauit Dominum inſpirantem ſanctam gratiam. Eſaias autem & ipſe alia
quadam ratione è mortuis reſurgentem, & Spiritum ſanctum ſuis gratifi-
Eſa.63. cantem prænunciat dicens: ***Recordatus eſt dierum æternorum is, qui edu-
xit è terra paſtorem ouium.*** Et loco illius ſententiæ, ***Inſpirauit in faciem
ipſius,*** confeſtim ſubiunxit: ***Qui poſuit in ipſis Spiritum ſanctum.*** Diui-
na dignitas, diuina appellatio, regia maieſtas, immortalis gloria, & in-
comprehenſibilis potentia, is, qui cum patre ſimul glorificatur, & cum fi-
lio ſimul regnat, & qui operatur omnia, & diſtribuit vnicuique diuina
chariſmata, prout vult. Hæc, ſatis ſcio, ſtabiliunt quidem proprios Ec-
cleſiæ alumnos, mordent autem, & diſſecant inimicos, potiſsimum ini-
micos pietatis, eos, qui detrectant vnà cum patre & filio glorificare Spi-
ritum ſanctum. O miſeriam. Neque leui etiam honore dignari volunt
Rom. 8. Spiritum ſanctum. Apoſtolus autem de ſeipſo, ac ſuis dicebat: ***Si com-
patimur, & conglorificabimur.*** Paulus ſimul glorificatur cum Deo; &
Spiritus non conglorificatur? mortalis natura eo vſque euehitur, vt cum
Chriſto conglorificetur; & adorandus Spiritus non erit eorumdem pri-
uilegiorum nobiſcum particeps? Ac de hominibus quidem inquit ipſe
2.Tim.2. Apoſtolus: ***Si ſubſtinemus, & conregnabimus.*** Spiritus autem ſanctus non
regnat vnà cum Chriſto? O magnam dementiam, ò magnum, & intole-
randum furorem. O mentem impiam, & blaſphemiam immenſam, &
vulnus inſanabile. Nos ſperamus vnà regnare; & Spiritum ſanctum in
ſerui ordinem redigimus? Hæc autem dicimus, fratres, non perinde quaſi
Spiritus ſanctus eodem modo ac nos, ſit conglorificandus: ſed vt eorum
impietatem reprehendamus, qui neque tantumdem illi tribuere in animũ
poſſunt inducere. Propitius autem ſis nobis Domine in ijs, quæ diximus.
Nam tametſi nuda tantùm, ac tenui dictione verba impiorum iteramus,
†Impreſſꝰ nemo tamen, fratres, exiſtimet, iterare contumelias ab illis illatas †cõtu-
habet, ὑ- meliam eſſe in Spiritum ſanctum. Proferimus enim illas in mediũ, ac dici-
μῖν: nos mus, nõ conſentientes impietati, ſed errorem notantes, & eos, qui nobiſcũ
corrigimꝰ alumni pietatis ſunt, à prauis dogmatis munientes. Nã & Apoſtoli aman-
ὕβριν. tes Dominũ, & videntes ipſius dignitatem non cunctati ſunt inferere ſan-
ctis Euangelijs contumelias à Iudæis illatas. Itaq; ſcripta ſunt, quæcumq;
Ioan. 9. illi de Chriſto auſi ſunt dicere, & ***Quia peccator eſt.*** & ***Quòd ex Deo non eſt.***
Ioan. 8. & in faciẽ ipſius dicere non reformidarunt: ***Samaritanus es tu, & dæmoniũ
habes.*** Hæc autem ſcripta non eos, qui ſcripſerunt, condemnant; ſed eos,
qui blaſphemarunt. Audi efficacitatem ſpiritus, audi traditam ab Apoſto-
lis glorificandi rationem, adhære illorum doctrinæ, ſequere cathedras ſan-
ctorum: ne teipſum errare facias per veſtigia impurorum. Trinitatem a-
dora: Trinitatem glorifica: Trinitatem prædica. Ita ſentiunt prophetæ:
ita prædicant Apoſtoli: ita credunt martyres. Audi Paulum, qui Trini-
1.Cor.12. tatem prædicat. ***Diuiſiones gratiarum: idem autem ſpiritus: diuiſiones mini-
ſtrationum: idem autem Dominus: diuiſiones operationum: idem verò Deus***

qui

qui operatur omnia in omnibus. Quid cauſæ eſt, quamobrem non incipiat à patre, neque illum prædicet primùm, deinde filium, & poſt ipſum, Spiritum ſanctum? inuertis ordinem Paule? tranſponis ſeriem? cum Saluator ita nobis tradiderit: ***In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti***; tu ſoluis ſacram legem Theologiæ? Abſit verò, vt quicquam vnquam huiuſmodi de Paulo cogitemus. Sanctus enim ille, & admirabilis prædicator optimè nouit, tametſi Spiritus ſancti primùm mentionem faciat, inuiolatam tamen à ſe ſeruari Theologiam, neque inconfuſæ illi naturæ iniuriam fieri: non diuidit indiuiduam dignitatem: ſpiritus primùm mentionem facit; vt oſtendat, vbi poſtremo loco ſcribitur Spiritus ſanctus, non propterea poſtremum ipſum fieri, & vltimum. Etenim quoniam illi peruersè, & malè interpretantur, non connumerantes, ſed ſubnumerantes patri filium, & filio Spiritum ſanctum (primus enim inquiunt, pater, ſecundus filius, tertius Spiritus ſanctus, non benè ordinatam notitiæ ſeriem intelligentes adorandæ Trinitatis, ſed animo peruerſo aggredientes inferre iniuriam puritati Theologiæ) iure Paulus inuertit nominum ordinem, vt oſtendat veritatis potentiam, & tollat improborum ſuſpicionem. Etenim nouimus, inquiunt, filij quidem, & Spiritus ſancti leuiter, ac tenuiter Paulum mentionem facere; vbi verò ad patrẽ venit, in ſublime euehere Theologiam: nam de ſpiritu quidem dixit: ***Idem autem ſpiritus.*** De filio autem: ***Idem autem Dominus.*** Vbi autem ad patrem venit; dixit: ***Qui operatur omnia in omnibus.*** Quid igitur, hoc ipſum verbum, ***Operari omnia in omnibus***, auctoritatem præfefert? certè, inquiunt: & excellentem præſtantiam prædicat? certe, inquiunt. Accipio confeſsionem tuam; dummodo maneas in pactis conuentis. Videamus igitur, ſiquid manifeſtius vas illud electionis, ille qui à Spiritu ſancto regebatur, de hac ipſa quæſtione ſubiungat: ***Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem: nam alij quidem datur ſermo ſapientiæ ſecundum ſpiritum, alij autem ſermo ſcientiæ in eodem ſpiritu, alij autem gratię ſanationum ſecundum eumdem ſpiritum, alij prophetia, alij autem interpretatio linguarum, alij ſides alij gratiæ*** aliæ. ***Hæc autem omnia.*** Attende diligenter: animaduerte dictions, & potentiæ conſenſionem. Qui in priore orationis parte dixerat: ***Idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.*** Vbi ad ſpiritum venit; hanc eamdem potentiam teſtificatur de ſpiritu. ***Hæc autem omnia, inquit, operatur vnus, & idem ſpiritus, diuidens ſeorſum ſingulis, prout vult.*** Ita non ſoluitur harmonia rationis illius in glorificanda Trinitate vſitata; quodcumq; nominum ſanctæ Trinitatis vel primũ, vel ſecundum, vel tertium ponatur. Etenim primum, & ſecundum, & tertium non naturæ diſcrimen indicat, ſed viam Theologiæ inconfuſam. Rurſus idem Apoſtolus; vt oſtendat vbique ſe ſine vllo diſcrimine vſum eſſe nominum ordine, acceſsiſſe autem bono cum ordine, & ſecurè ad diuinam prædicationem, inquit Theſſalonicenſibus ſcribens: ***Ipſe autem Dominus noſter Ieſus, & Deus & pater noſter.*** Primum Paule filium, & tunc patrem prædicas?

Matt. 18. *1. Cor. 12.* *2. Theſſ. 2.*

Digitized by Google

dicas? Etenim tu, inquit, hoc, quod primum dicitur, in ordinem redegi-
ſti. Ego autem, ſi primum, ac ſecundum dixero; naturam tamen indiui-
duam exiſtimo; potius autem non exiſtimo, ſed ſecurè, ac fidenter præ-
dico. Ne igitur iniuriam facias diuinis ſermonibus; neque illudas cæle-
ſtibus dogmatis. Huiuſmodi imaginem inuenis etiam in vetere Teſta-
mento. Nam quemadmodum hic incipiens Paulus à ſpiritu venit ad fi-
lium, & à filio rurſus ad patrem; & quod in ordine nominum illorum
tertium erat, primum fecit, non inuertens prædicationis ordinem, ſed in-
explicabilem Theologię ſcientiam demonſtrans; ita etiam in vetere hunc
eumdem modum inuenies quaſi in imagine præfulgentem. Quis noſtrum
non nouit, fratres, in ſcriptura primum quidem ſtatui Abraam, ſecundum
Exo. 3. verò Iſaac, & tertium Iacob? ***Ego enim, Deus Abraam, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.*** Et iure quidem ſcriptura primum eum prædicat, qui genuit,
tum verò eum, qui genitus eſt, ac deinde eum, qui ex illo. Verumtamen
quando natura erat indiuidua, quamuis propter ſeriem temporibus diui-
deretur; non cunctatus eſt Deus mutare ordinem, vt eamdem eſſe ratio-
nem oſtendat. Inquit enim in Leuitico: nam & locum indico, ne ea, quæ
dicuntur, illudas. ***Sinautem peccauerint filij Iſrael; tradam ipſos in gentem***
Leuit. 26. hinc inde collectis verbis. ***alienam, & proficiſcentur illuc, & ſeruient Dijs alienis. Tunc confundetur***
cor ipſorum incircumciſum. & paulò poſt: ***Et recordabor teſtamenti Iacob,***
& teſtamenti Iſaac, & teſtamenti Abraam. Repetam verba: nam † plau-
ſus occultauit argumentum, quod tractabatur. ***Illic, inquit, confundetur***
Impreſſus habet, πρῶτος, nos corrigim', πρότος. ***cor ipſorum incircumciſum: & reuertentur ad me, & ſanabo ipſos.*** Non-
dum minæ; & liberationem adnuntiat: ***Et reducam ipſos in terram patrum***
eorum: & recordabor teſtamenti Iacob, & teſtamenti Iſaac, & teſtamenti
Abraam. Vides mutari ordinem eorum, qui pares honore ſunt? Non e-
nim primum tempore fecit Iacob: ſed iſtam quaſi neglexit diſtinctionem,
Nã alibi etiã Chryſoſtom' & agnoſcit & deprecatur huiuſmodi plauſum. vt honoris æqualitatem oſtenderet. Verùm in Patriarchis quidem tem-
pus diſtinguit fructus à radice: mortalis enim natura eſt, & eorum qui ge-
niti ſunt, & eorum qui genuerunt. Sanctæ autem & immortalis adoran-
dæ Trinitatis naturam non diuidit ratio, nõ partitur tempus, non ſeparant
ſęcula. Nihil enim intermedium eſt inter patrem, & filium, & Spiritum
ſanctum. Effector ſęculorum vnigenitus. Audi diuinum, & generoſum
prædicatorem, qui ita de patre dixit: ***Multifariam, multiſq́, modis olim***
Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimis diebus iſtis loquutus eſt no-
Heb. 1. ***bis in filio, quem conſtituit haredem vniuerſorum: per quem fecit & ſęcula.***
Nihil igitur intermedium eſt inter patrẽ & filium & Spiritum ſanctum:
nullum tempus, aut interuallum temporis: ante ſæcula pater, ante ſæcula
filius: ipſe enim fecit ſęcula: ante ſęcula Spiritus ſanctus: nuſquam ſcin-
ditur natura: nuſquam diuiditur potentia: attende diligenter: regnat pa-
ter, regnat filius, regnat Spiritus ſanctus. Scio me hac ipſa vſum eſſe de-
Phil. 1. monſtratione. Sed eadem dicere, ***Mihi quidem pigrum non eſt, vobis autem***
Pſal. 73. ***tutum.*** Regnat pater, ſecundum illud: ***Deus noſter Rex in ſęculum.*** Re-

gnat

gnat filius: *Dabit enim ei Dominus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit ſuper domum Iacob in ſæcula.* Regnat Spiritus ſanctus. Nã Eſaias quidem ita dixit: *Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. Et dixit ad me. Vade, & dices populo huic. Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis.* Et quæ ſequuntur. Apoſtolus autem iſtam Prophetæ Theologiam transfert ad Spiritum ſanctum. Nã cum ille dixiſſet, & *vidi regem Dominum exercituum, & dixit mihi. Vade, & dices populo huic.* Paulus regem Dominum exercituum ad Spiritum ſanctum transferens, diſſerens cum Iudæis, qui Romæ erant, inquit. *Benè Spiritus ſanctus loquutus eſt per Eſaiam Prophetam ad patres noſtros dicens, Vade ad populum iſtum, & dic ad eos, aure audietis, & non intelligetis,* & quæ ſequuntur. Eſaias dicebat: *Regem exercituum vidi: & dixit ad me, dices populo huic.* Et Paulus ea verba afferens, Spiritui ſancto iſtam attribuit auctoritatẽ. Ergo Rex & Dominus exercituum eſt Spiritus ſanctus, qui dixit Eſaiæ: *Vade, & dices populo huic, aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perſpicietis.* & quæ ſequuntur. Dominus pater. *Et audiui vocem Domini dicentis, Vade, & dices populo huic.* Dominus filius. Etenim *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Dominus Spiritus ſanctus. Nam *Dominus ſpiritus eſt: vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas.* Nemo exiſtimet, maius ac primum nomen eſſe hoc *Deus.* ſecundum verò nomen *Dominus.* In natura enim immortali & Dominus, & Deus, etſi dictio ipſa non habeat eamdem vim, eamdem tamen dignitatem prædicat. Quid enim? Eſt ne Deus nomen primum? At ſi Dominus eſſet ſecundum nomen, non ſanè Moyſes ſecundo vſus eſſet perinde ac primo, ita dicens: *Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt.* Oportebat enim, ſiquidem illud primum erat, illius primo loco mentionem facientem ita dicere: *Deus tuus, Dominus vnus eſt.* Sed vt oſtendat nominum duntaxat eſſe diſcrimen, primum dixit. *Dominus.* Deinde *Deus.* Ceterum ad propoſitum reuertamur. *Dominus autem ſpiritus eſt.* Dominus igitur pater, Dominus filius, Dominus Spiritus ſanctus. At Paulus inquit *Vnus Dominus.* † Si Dominus, & Dominus; quomodo vnus Dominus? nimirum vna eſt dominatio. Ita & vnus Deus, inquit Paulus: *Nobis autem vnus Deus pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus.* Ergo inquiunt, patrem quidem Deum dixit, Filium autem Dominum. Videamus igitur, videamus, fratres, videamus, obſecro, an nomen hoc, Dominus, non ſit diuinæ dignitatis; neque verè & primum & conueniens, neque à ſancta ſcriptura conteſtatum. Verè enim neceſſarium eſt, & nos diligentiam in dicendo adhibeamus, & vos alacritatem in audiendo, & illi cum veritate doceantur. Ecquis igitur ſermo nobis teſtimonium dabit nomen hoc, Dominus, & primum eſſe, & magnificæ illius gloriæ proprium? Audi Prophetam Dauid: *Erubeſcant & conturbentur in ſeculum ſeculi; & confundantur, & pereant: & cognoſcant quia nomen tibi, Dominus.* Bene habet, quòd

Luc. 1. *Eſa. 6. verbis hinc inde acceptis.* *Act. 28.* *Eſa. 6.* *Pſal. 109.* *2. Cor. 3.* *Vbi impreſſus habet, τὸ πρῶτος θεὸς, correximus, καὶ πρῶτον τὸ θεὸς.* *Deuter. 6.* *2. Cor. 3.* *Eph. 4.* *† Impreſſ° habet εἷς; correximus, ὁ.* *1. Cor. 8* *Pſal. 82.*

quòd inimicus ita inquit de ſaluatore verbo, nomen enim Chriſti Dominus, nomen patris Deus. Rurſus poſco definitionem eorum, quæ nobis propoſita ſunt. Inhæres hæreticorum loquutioni? permanes in pactis conuentis? Timeo enim verſutiam tuam. Cum fueris conuictus; tunc verò ex hac veritate confugis ad aliam rationem: ac ſi ibi etiam comprehenſus fueris; fugis ad aliud quoddam dementiæ caput; cum minimè fugienda eſſet veritas lucens, & illuminans. Non enim dum illuminat, expellit.
Ex Leuit. 26. Sed nimirum, ***Impius fugit nemine perſequente.*** Verùm nos ad propoſitum redeamus. ***Cognoſcant, quoniam nomen tibi Dominus.*** Si de patre loquitur; cognoſce igitur nomen hoc, Domini, conuenire patri: & ſi nomen Domini conuenit patri; Paulus dixit: ***Vnus Dominus Ieſus Chriſtus.***
Pſal.82. 1.Cor. 8.
Quòd ſi Dominus pater, Dominus filius, ergo quemadmodum eſt particeps nominis, ita etiam eſt particeps dignitatis. Atenim Iudæus recuſat fateri, de patre id dictum eſſe, vt nomen Domini aptans filio, nomen Dei patri ſeruet. Accipio hanc definitionem, & pactum. Equidem non diuido nominum dignitatem, quemadmodum ſæpe antea dixi, adorandæ Trinitatis: eccleſia enim indiuiduam agnoſcit gloriam: ſed me demitto, atque accommodo tuæ infelicitati, & dico: eſto, vt vis, ***Cognoſcant, quoniam nomen tibi Dominus.*** Quid igitur facies, cum illud ſubiungitur: ***Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram***? Ergo ſecundum impietatem, ac doctrinam tuam, iam pater non eſt, quoniam ſolus filius eſt altiſsimus? Hic fratres non ſunt fluctus maris, qui obruant, ſed fluctus charitatis, qui ſanctificent. Verumenimuero Chriſto loquente, & prædicante nauigium
Matth. 8. hoc Dei amicum tranquillè curſum peragat ſuum. Etenim abſurdum quidem eſt mare conſpectis veſtigijs Domini, & audita voce, ſiluiſſe, & quaſi freno cohibitum auctoritatem veritum eſſe, eccleſiam autem ſuo
Ioan. 6. ipſius ſponſo non eſſe dicto audientem verba vitę loquenti, & veriſsimè
Pſal. 44. diuinam gratiam in labijs habenti: Nam ***Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.*** Ceterum ad propoſitum redeamus. ***Cognoſcant, quia nomen tibi Dominus.*** Vtrumuis elige: non quòd in poteſtate tua ſita ſit electio. Non enim cum
Ioſ. 24. Ieſus Naue dixit ad populum: ***Eligite hodie, cui ſeruire potiſſimum debeatis, vtrum dijs, quibus ſeruierunt patres veſtri, an Domino Deo noſtro***; non ideo electionem omnino poſuit in poteſtate hominum: ſed hoc voluit oſtendere cum electione eorum, qui Deum amant, eſſe coniunctam pieta-
Ibid. infra tem. Et alibi idem: ***Teſtes vos contra vos ipſos, quia ipſi elegeritis vobis Dominum, vt ſeruiatis ei.*** Quemadmodum ibi electio non fecit iniuriam dignitati Dei, ſed piorum electionem demonſtrauit: ita etiam nunc, ſi optionem, atque electionem dedero ſententię, & conſilio veſtro; non facio iniuriam dignitati, ſed conſilium veſtrum examino. Ergo illud ***Cognoſcant, quia nomen tibi Dominus,*** dictum ne eſt de patre, an de filio? Nam, ſiquidem de patre, & nomen patris Dominus; filij etiam nomen eſt
1. Cor. 8. Dominus: ***Vnus enim Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia.*** Ergo quemadmodum nomen commune eſt, ita etiam dignitas. Sinautem dicas

filij

Digitized by Google

filij eſſe nomen Dominus: igitur ſolus ipſe filius eſt Dominus: *Tu enim* *Pſal. 82.*
ſolus altiſſimus ſuper omnem terram. Ergo quando vnus, & ſolus filius eſt Dominus; alienus ne erit pater à dominatione? Abſit. Neque enim quando ſolus pater prædicatur vnus Deus; excluditur filius à deitate. Nam
In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ. *Ioan. 1.*
Neque igitur illud *Deus pater*, excludit filium à deitate (nam & verbum Deus eſt) neque item filius, cum dicitur vnus Dominus, alienum
propterea patrem oſtendit à dominatione. Etenim *Dixit Dominus Do-* *Pſal. 109*
mino meo, ſede à dextris meis. Dominus igitur pater, Dominus filius,
Dominus Spiritus ſanctus. Nam *Spiritus Dominus eſt*. Sed rurſus hæ- *2. Cor. 3.*
reticus excandeſcit, ac reſilit, & Dominum vocari audiens Spiritum ſanctum, diſrumpitur: Et quomodo, inquit, Spiritus Dominus eſt, qui olim per Prophetam Dauid loquens celebrat filium his verbis: *Dixit Dominus Domino meo*? Vides, inquit, ſpiritum loquentem per Prophetam fateri & patrem & filium Dominum ſuum? Quid igitur fratres? ne longius producta oratio dubitationem, ac difficultatem afferat audientibus; ad ipſam veniam examinationem iſtius rationis: totam vobis exponam loci illius ſententiam. Saluator aliquando cum Iudæorum Synagoga diſputãs, & excutiens, quam de ipſo opinionem, atque exiſtimationem multi haberent, inquit ad ipſos. Quem dicitis eſſe Chriſtum? cuius filius eſt?
Dicunt ſcribæ, & Phariſęi, Dauid? Tum Dominus opponens ſe illorum *Matt. 22.*
exiſtimationi rurſus adiunxit: *Quomodo ergo Dauid in Spiritu ſancto vocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*? Addidit autem illud, *In Spiritu ſancto*, non vt ſpiritum oſtenderet ſeruum eius, qui prædicabatur, Chriſti; ſed vt clarum, perſpicuumq́; faceret Prophetam in Spiritu ſancto futura præuidentem, eum qui ſecundum carnem futurus erat filius, fateri Dominum ſecundum veritatem. Non enim Domino propoſitum erat de Spiritu ſancto exquirere, ſed de ſeipſo, vtrum Dauid ipſum Dominum habeat pro filio, an pro hero. Denique ipſemet Dominus iam ante tollens hæreticorum fallaciam, & inuiolatam ſeruans Spiritus ſancti dignitatem, illatione ipſa ſoluit dubitationem. Quid ergo inquit? *Si ergo Dauid vocat eum Dominum; quomodo filius eius eſt?* Non dixit, ſi ergo Spiritus ſanctus vocat eum Dominum: ſed, *Si Dauid vocat eum Dominum*. Cur igitur addidit illud: *In Spiritu*
ſancto vocat eum Dominum? Quoniam de Chriſto dicere ante Chriſti ad- † *al. corpo-*
uentũ, non erat † oculi cernentis, ſed Spiritus ſancti præmonſtrantis. Non *ris.*
enim Dauid ea, quæ videbat, prædicauit, ſed quę illi Spiritus ſanctus ſubijciebat, hęc ſpiritali perſonabat lyra. Propterea Dominus adiunxit: *Quomodo ergo Dauid in Spiritu ſancto vocat eum* Dominum? Ne autem hęreticus hinc accerſat blaſphemiam in Spiritum ſanctum; addidit rurſus, quemadmodum iam diximus: *Si ergo Dauid vocat eum* Dominum *: quomodo filius eius eſt*? Ergo Dauid in Spiritu ſancto vocat Chriſtum Dominum. Illud autem in primis conſideremus, Prophetam omnem ex Spi-

ii. ritu

Digitized by Google

ritu ſancto loqui ea, quæ ſibi monſtrantur. Etenim ſine dubio Prophetæ
omnes in Spiritu ſancto loquuti ſunt; quemadmodum & Apoſtolus te-
Act. 28. ſtatur dicens: *Benè Spiritus ſanctus loquutus eſt ad patres noſtros per Pro-*
Ioel 2. *phetam.* Et rurſus vniuersè Deus: *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem car*
Act. 2. *nem, & prophetabunt.* Et Moyſes: *Quis tribuat, vt omnis populus Domini*
Num. 11. *prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum?* Hoc loco diligenter atten-
damus, quomodo Spiritus ſancti deitas demonſtretur, non à nobis eue-
cta, ſed prædicata à ſuamet dignitate. Concedite autem mihi per inter-
rogationem, & reſponſionem informare id, quod propoſitum eſt. Nam
per huiuſmodi oppoſitiones manifeſtior apparet dubitationum ſolutio.
Interrogemus igitur, vtrum fateantur Spiritum ſanctum eſſe, qui loqu-
tus eſt per Prophetas, an adhuc dubitent, & minimè credant. Si dubitant;
quod antea dictum eſt, in memoriam reuocabimus: quomodo ipſemet te-
Ioel 2. ſtatur Deus, ita dicens: *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, &*
prophetabunt? Spiritus enim eſt, qui propheticam potentiam præſtat;
quemadmodum rurſus Moyſes ille admirabilis, cum vellet oſtendere ex
Spiritu ſancto prophetiam conſiſtere, magnam illam, atque admirabilem
Num. 11. erupit vocem: *Et quis tribuat mihi, vt omnis populus Domini prophetet, &*
det eis Dominus Spiritum ſanctum ſuum? Si autem verè fatentur, quem-
admodum etiam verè eſt, Spiritum ſanctum eſſe, qui loquutus eſt Pro-
phetis; audi, quomodo beatus, & admirabilis Zacharias præcurſoris pater,
Deum inquit eſſe Spiritum ſanctum, qui per Prophetas loquutus eſt: *Be-*
Luc. 1. *nedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitauit, & fecit redemptionem plebi*
ſua: & erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui; ſicut loquutus eſt
per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt, prophetarum eius. Si igitur, qui loqu-
tus eſt per os prophetarum, Deus eſt; Spiritus autem ſanctus eſt, qui lo-
quutus eſt in Prophetis (quemadmodum inquit Dauid in libro Regnorũ:
2. *Reg.* 23. *Spiritus Domini loquutus eſt in me.*) Deus ergo, & Dominus eſt Spiritus
ſanctus, qui per prophetas loquutus eſt. Accipe autem mihi rurſus mani-
feſtam eorum, quæ dicta ſunt, demonſtrationem. Diuinus Apoſtolus cũ
vellet oſtendere propheticæ vocis auctorem eſſe Spiritum ſanctum, in-
1. *Cor.* 14. quit in epiſtola ad Corinthios: *Si omnes prophetetis; intret autem quis idio-*
ta, vel infidelis: conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta cor-
dis eius manifeſta fiunt: & ita cadens in faciem ſuam adorabit, pronuntians,
quòd verè Deus in vobis ſit. Vides pietatis doctorem apertè Spiritum, qui
in prophetantibus loquitur, nominaſſe Deum? Cur calumniaris dignitatẽ
ſpiritus? Cur tranſgrederis fidei confeſsionem. Recognoſce pacta tua,
quæ in myſterijs feciſti. Annon dixiſti, credo in patrem, & filium, &
Spiritum ſanctum? Quod crediſti, euertis? Quod confeſſus es, reuellis?
quod purè declaraſti, hoc rurſus impiè repudias? bellum geris cum pace?
pugnas cum tuis met pactis? abnegaſti fidem, & introducis quæſtiones?
credenti, confitenti tibi traditum eſt donum: & poſt donum expellitur fi-
des, & introducitur diſputatio? ne facias iniuriam dignitati ipſius gratiæ;
ne adul-

Digitized by Google

he adulteres pacta, & ſponſiones terribilis illius, ac tremendæ conſecra-
tionis. In nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti confeſſus es credere:
baptizatus item es in patrem, & filium, & Spiritum ſanctum: itemq; be-
nedictio in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti. Nobis dona ab i
gratia, & à nobis blaſphemia in gratiam? à Spiritu ſancto libertas nob
& à nobis ſeruitus ſpiritui? O amentiam, ò ingratum animum. Num no- *Eſt mendũ*
uam inficiaris fidem? ſaltem vetus reuerere teſtamentum: quod vbiq; præ *aliquod in*
ſe fert ſanctę Trinitatis æqualitatem honoris; quemadmodũ ex multis ſcri- *græco.*
pturæ teſtimonijs ſæpè vobis demonſtrauimus. Quibus aliam etiam vo-
lo rurſus adiungere demonſtrationem. Prænunciata enim ſunt, quem-
admodum ſæpe antea diximus, in vetere Teſtamento noua. Quid igitur
præcipit Moyſi Deus ita dicens? *Loquere Aaron, & filijs eius: ſic benedi-* *Num. 6.*
cite filios Iſrael. Attende diligenter. Ne quis, quomodocumque res ge-
ratur, putet bene geri, addidit in præcepto illud, *Sic.* Ne quis ex propria
poteſtate benedictiones proferat, ſed ſecundum normam ſcripturæ omnia
faciat; propterea dicit, *Sic, inquit, benedicite.* Quomodo ſic? *Benedicat*
te Dominus, & cuſtodiat te. Et attende, quomodo vbique Trinitatem my-
ſticè introducit, per quam etiam benedictiones triplicantur. *Benedicat te*
Dominus, & cuſtodiat te. Illuminet Dominus vultum ſuum ſuper te, & det
tibi pacem. Vide ſanctam Trinitatem euidenter celebrari. Quænam gra-
tia non à Spiritu ſancto? quodnam donum non ab illo? quodnam bonum
ſine illo? Quidnam etiã ſupermundanum poteſt exiſtere hominibus ſine
Spiritu ſancto? Scrutamini ſcripturas, & conſiderate, cum ſcriptura quid-
piam eorum, quæ ſupra naturam perficiuntur, vult ſignificare, aut oſten-
dere, totum adſcribi auctoritati ipſius ſpiritus. Veluti cum Sampſon ge-
neroſus ille heros magna illa, & incredibilia fortitudinis facinora edebat;
ſcriptura vbique ea demonſtrans Spiritum ſanctum heroicis illis facinori-
bus prępoſuit. Venerunt, inquit, alienigenæ in Sampſonem multi, & innu- *Iud. 15.*
merabiles, & ſolus erat ille; neque hoc tantùm, ſed etiam vinctus. Ecquæ *verbis hĩc*
igitur ſolutio ei, qui vinctus erat? quæ ſalus ei, qui comprehenſus? quo- *inde acce-*
modo vnus ſuperior diſcedet multis? Spiritus Domini recta venit in Sam- *ptis.*
pſonem, & irruit in alienigenas, & cum reperiſſet aſini maxillam, mille
viros aggreſſus interfecit. Et vide ſapientiam diuinæ ſcripturæ: quoniam
narratio hæc illis, qui hominem minime noſcerent, incredibilis futura e-
rat, nempe eum, qui vinctus erat, viciſſe ſolutos, & vnum multos; recte
præpoſuit, *Et ſpiritus Domini irruit in Sampſon, & arripuit mandibulam*
aſini, & interfecit mille. Vt quod incredibile erat propter naturam huma-
nam; credatur propter potentiam ſpiritus. Recte igitur dicebat Moyſes:
Quomodo perſequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia? nonne ideo *Deut. 32.*
quia Dominus tradidit eos, & Deus vendidit illos? Lege ſcripturas: & in
vnoquoq; heroico facinore præpoſitam inuenies ipſius ſpiritus auctorita-
tem. Venerunt alienigenæ: & Spiritus Domini irruit in Sampſon; occur- *Iud. 14.*
rit Leo; & dilacerauit Leonem, quaſi hædum: vinctus eſt catenis ferreis; *Iud. 16.*

& mulier ad eum *Alienigenę ſuper Sampſon.* Et ſoluta ſunt vincula, perinde ac ſtuppa, cum acceperit odorem ignis. Sed rurſus ſcriptura, *Et Spiritus Domini irruit in Sampſon, & ſoluta ſunt vincula, quaſi ſtuppa, cum acceperit odorem ignis* Nullum vſquam introduxit egregium facinus, quin præponeret ipſius ſpiritus efficacitatem. At poſteaquam nudatus eſt potentia illa, attende diligenter, quid dicat ſcriptura diuina. Nam quæ vbique, cum ille bellaret, ac vinceret, dicebat *Spiritus Domini irruit in Sampſon;* vbi ille raſum habuit caput, & prodidit gratiæ pignus; confeſtim ſcripſit, *Et receſsit ab eo Dominus.* Quando alienigenæ vincebantur, tunc ſcriptura, *Et Spiritus Domini irruit in eum.* Vbi autem diſceſsit; inquit: *Et*
2. Cor. 3. *receſsit ab eo Dominus.* Et iure quidem. Nam *Dominus ſpiritus eſt.* Non ſolum autem in vetere teſtamẽto hanc inuenies obſeruationem, & accurationem: ſed etiam in ipſis Apoſtolis, vbi magnam aliquam, & excellentem potentiam prędicant diuina eloquia; vbique ipſius ſpiritus auctoritatem præponunt. In Cypro introducit Paulum ſermone ipſo punientem
Act. 13. execrandum illum Elymam magum, qui contra veritatem bellum gerebat: & quoniam narratura erat rem inuſitatã, momento extinctos ſermone oculos, ita inquit, *Ecce manus Domini ſuper te, & eris cęcus non videns ſolem.* Hoc autem ſuperabat & Pauli, & omnium hominum naturã; ſermone hominis, inquam, lumen oculis adimere. Sermo enim hominis non mutat naturam, non cęcat viſum. Ne quis igitur ſpectans humana verba, rerum ipſarum nouitati fidem non habeat, & fictum eſſe ſermonẽ putet; rurſus ſcriptura præponit ipſius ſpiritus auctoritatem. *Tunc, inquit, Paulus repletus Spiritu ſancto dixit ad eum.* Habes & aliam ipſius ſpiritus demonſtrationem. Aliquando ſupra vires, & captum ſuum idiota loquetur. Sed rurſus ſcriptura ſpiritui efficacitatem aſcribit; quemadmodum cum
Act. 4. ſuo arbitratu aptatis verbis, vt ferè ſemper. concionantur Petrus, & Ioannes corã multitudine Iudæorum. *Tunc, inquit, Petrus repletus Spiritu ſancto dixit ad populum, Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire, quàm Deum; iudicate.* Cur igitur *Repletus Spiritu ſancto?* Quoniam fidentia, & libertas illa excellebat captum idiotæ: ne quis in piſcatorem intuens, fidentiam ſancti illius ſermonis non credat; præpoſuit ſancti ſpiritus ſapientiam; vt admireris rationẽ, qua res illa adminiſtrabatur. Conſideremus, ſi libet, & aliud, vt magis, magiſque ſtabilitas earum rerũ, quæ dicta ſunt, eluceat. Aperitur cælum ſanctis: at ſine Spiritu ſancto non aperitur. Non enim oculis carnis cernitur cęlum apertum, ſed
Act. 7. ex ipſius Spiritus ſancti efficacitate. Vidit Stephanus cęlos apertos, ſed, quemadmodum ſcriptura inquit, *Cum eſſet plenus Spiritu ſancto, vidit.* Nullo igitur modo, fratres, cęlum licet apertum cernere ſine ſpiritu, neque docendi auctoritatem aſſumere, neque potentiam miraculorum prę ſe ferre ſine ſancto, & adorando ſpiritu. Etenim
1. Cor. 12. *Omnia operatur vnus, & idem Spiritus, diuidens ſingillatim vnicuique, prout vult.* Cui gloria in ſeculorum ſęcula. Amen.

SANCTI

Digitized by Google

SANCTI PATRIS
NOSTRI IOANNIS
CHRYSOSTOMI
HOMILIA

In Paralyticum qui triginta & octo annos agebat in infirmitate ſua. Io. 5.

BENEDICTVS Deus: ſingulo quoque conuentu video aruum creſcere, agros comatos florere, aream impleri, multiplicari manipulos: tametſi non multi dies prætererunt, poſtquam ſementē hanc fecimus: ecce verò quamprimum diues nobis obedientiæ ſpica germinauit. Ex quo perſpicuum eſt non humanam eſſe potentiam, ſed gratiam diuinam, quę hanc colat Eccleſiam. Nam & huiuſmodi eſt natura ſeminis ſpiritalis: non expectat tempus; non eget multitudine dierum; non moratur circuitus menſium, non horas, & tempora, & annos: ſed licet vnico die iacientem ſemen plenam, & confertam breui hoc ſpatio meſſem metere. Etenim qui hanc ſenſui ſubiectam terrā ſcindunt; ijs & plurimum laboris neceſſariò adhibendum eſt, & diu expectandum. Nam & boues aratores ſub iugum mittere coguntur, & profundum ſulcum fodere, & ſemina copioſè iacere, & ſuperficiem terrę cōplanare, & omnia quæcumq; iacta fuerint, contegere, & expectare moderatos, & opportunos pluuiarum aduentus, multiſq; alijs in rebus laborem, ac ſtudium inſumere, & multum temporis expectare; ac tūc deniq; finem ſuum conſequi. Hic autem & æſtate, & hieme, & ſerere, & metere licet; & eodem ſæpè die vtrumque contigit; potiſsimum vbi pinguis, & vber fuerit anima quæ colitur. Quod ſanè in vobis etiam licet cernere. Quamobrem, & nos alacrius ad vos accurrimus. Nam & agricola illam diligenter terram colit, atque apparat, ex qua ſæpè aream imple-

uit. Quando igitur & vos pauco ex labore magnum nobis præbetis prouentum; magna cum attentione ad hanc accedimus agriculturam, & eorum, quæ antea dicta ſunt, reliquias vobis diſtributuri venimus. Quoniam igitur tunc ex vetere teſtamento diſputationem illam texuimus, quę gloria vnigeniti filij Dei habebatur; nunc ex eodem hoc ipſum faciemus. Ergo tunc illud afferebamus, quod dicebat Chriſtus: *Si crederetis Moyſi, crederetis vtique & mihi.* Nunc autem dicimus hoc à Moyſe dictum eſſe: *Prophetam vobis ſuſcitabit Dominus Deus ex fratribus veſtris, ſicut me: ipſum audietis.* Etenim quemadmodum Chriſtus ad Moyſem eos tranſmittit, vt per illum ad ſe alliciat, ita Moyſes magiſtro diſcipulos tradit, iubens, vt ei vſquequaque pareant. Pareamus igitur & aſſentiamur cum ceteris rebus omnibus, quaſcunque aut facit, aut dicit, tum verò ſigno huic, quod hodie vobis recitatum eſt. Quod nam verò hoc eſt? *Erat inquit dies feſtus Iudæorum: & aſcendit Ieſus Hieroſolymam eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, quę cognominatur hebraicè Bethſaida quinque porticus habens.* In quam narrat ſermo Euangelicus aduenire ſolitum ſtato tempore Angelum, atque in eam ſe mergere: id verò intelligi ex motione aquæ: itaque illum qui primus deſcendiſſet poſt aquæ commotionem, ſanum fieri, quocunque tandem morbo laboraret. In his igitur iacebat porticibus multitudo infirmorum, cæcorum, claudorum, aridorum, qui expectabant aquæ motum. Ecquæ autem cauſa eſt, quamobrem aſsiduè Chriſtus deligat Hieroſolymam, & in ipſis diebus feſtis ſeſe oſtendat Iudæis? quoniã tunc multitudo conueniebat, locumq; illum, ac tempus obſeruabat, vt ſuſciperet infirmos. Non enim ij qui laborabant, tantopere cupiebant liberari à morbis; quantopere ſtudebat medicus eos ab inualetudine liberare. Quo igitur tempore frequens erat ipſorum conuentus, & confertum theatrum; tunc in medium veniens, ea quæ ad ipſorum ſalutem facerent, proferebat. Iacebat igitur multitudo infirmorum expectantium aquæ motum; & is quidem, qui primus deſcendebat poſt aquæ motum, ſanabatur; qui autem ſecundus, non amplius, ſed conſumebatur medicamentum: atque expenſa medicina gratiæ, in poſterum reſtabant ſolæ, ac deſertæ aquæ; perinde atque inualetudo illius, qui primus deſcenderat, totam illam facultatem expreſsiſſet, & exhauſiſſet; & iure quidem optimo: ſeruilis enim erat illa gratia. Quo autem tempore Dominus aduenit; non eadem ratio ſeruata eſt; nec qui primus deſcendit in piſcinam aquarum, ſolus ſanabatur, ſed & primus, & ſecundus, & tertius, & quartus, & decimus, & vigeſimus; ac ſi decem millia dixeris & bis totidem, ac ſi ter, ac ſi infinitos multitudine, ac ſi totum orbem ieceris in piſcinam aquarum; ne minima quidem ex parte minuitur gratia: ſed eadem manet omnes illos purgans. Tantum intereſt inter ſeruilem poteſtatem, & herilem auctoritatem. Ille vnum ſanabat, hic orbem vniuerſum: ille ſingulo quoque anno vnum, hic ſingulo quoque die, ſi decem millia velis inijcere, omnes ſanos reddit; ille deſcendens & contur-

Ioan. 5.

Deut. 18.

conturbans aquam, hic non item; ſed ſatis eſt nudum dumtaxat ipſius nomen inuocare ſuper aquas, ipſiſq; vniuerſam committere ſanandi rationem. Et ille quidem corporum vitijs medebatur: hic autem animæ vitioſitatem corrigit. Vides, quàm vndequaque magnum, atque ad[illegible] infinitum interuallum apparet? Iacebat igitur multitudo infirmorum expectantium aquæ motum. Erat enim locus ille † noſocomium quoddam ſpiritale. Quemadmodum igitur eiuſmodi loco multos licet cernere oculis captos, crure mutilatos, aut alia corporis parte malè affectos omnes publicè conſidentes, atque expectantes medicum; ita etiam hic licebat aſpicere multitudinem eorum, qui conuenerant. In his ipſis porticibus erat homo quidam triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. *Hunc cum vidiſſet Ieſus iacētem, & cognouiſſet, quia iam multum tempus haberet; dixit ei: Vis ſanus fieri? reſpondit ei languidus ac dixit, profectò Domine: ſed hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam. Dum venio enim ego, alius ante me deſcendit.* Cur ceteros omnes præteriens Ieſus ad hunc venit? vt & potentiam, & humanitatem oſtenderet: potentiam quidem, quoniam morbus iam factus erat inſanabilis, & ipſius inualetudo eò redacta erat, vt eſſet in rebus deploratis, ac deſperatis; humanitatem verò; quòd qui præcipuè dignus erat miſericordia & beneficentia, hunc præ ceteris reſpexit propitius Dominus & humanus. Neque verò locum leuiter prætereamus, neque numerum triginta & octo annorum, quos agebat in inualetudine ſua. Audiant omnes, quicunque cum paupertate perpetuò conflictantur, quicumque in morbis viuunt, quicunque difficultatibus premuntur negotiorum ſęcularium, quicumque tempeſtatem, ac procellam non expectatorum malorum ſubſtinuerunt. Paralyticus hic eſt propoſitus ceu communis portus humanarum calamitatum. Nemo enim adeò calamitoſus, nemo adeò miſer, & infelix; ſi cum hoc conferatur, eſt, quin omnia quæcunque incidant, generosè & magna cum alacritate ferre queat. Nam tametſi viginti anni fuiſſent, tametſi decem, tametſi ſoli quinque; nonne ſatis erant, qui frangerent ac diſſoluerent conſtantiam, & firmitatem animi ipſius? Hic verò triginta & octo annos manet, neque diſcedit; ſed magnam præſefert patientiam. Admirabilis fortaſſe vobis videtur temporis longitudo; ſed ſi ad verba ipſa attenderitis, tunc maximè philoſophiam ipſius, perfectamq; patientiam cognoſcetis. Acceſsit Chriſtus, & dicit ei: *Vis ſanus fieri?* Ecquis hoc ignoraſſet, voluiſſe ipſum ſanum fieri? Quid igitur cauſæ fuit, cur non ignorans interrogaret? Etenim qui arcana cogitationum nouit; multò magis ea, quæ omnibus perſpicua, & manifeſta ſunt, cognoſcebat? Cur igitur interrogat? Quemadmodum aliàs centurioni inquit: *Ego veniam & curabo eum*, non ignorans quæ ille dicturus erat, ſed præuidens, & ſubtiliſsimè ſciens, idq; agens, vt ei occaſionem, atque anſam daret religionis ac pietatis ſuæ, quæ in vmbra latebat, omnibus pateſaciendæ, ac dicendi: *Nequaquam Domine: non enim ſum dignus vt intres ſub tectum meū.*

† *Hoſpitale infirmorū.*

Ita

Ita in hoc Paralytico, cum ſciret quid ille dicturus eſſet, interrogat, num velit ſanus fieri, non quòd hoc ignoraret, ſed vt ei præberet anſam quamdam & occaſionem, quò ille tragicam calamitatem ſuam promeret, ac fieret gymnaſium patientiæ. Nam ſi hominem illum ſilentio curaſſet; ſummo nos damno affecti eſſemus: quippe cum illius animæ tolerātiam haud didiciſſemus. Chriſtus autem non ſolum præſentia rectè curat; ſed etiam futuris magnam præſtat diligentiam. Propoſuit igitur, & patefecit hunc qui magiſter erat tolerantiæ, ac patientiæ, omnibus qui orbem incolerent, per huiuſmodi interrogationem ipſum ad neceſſitatem reſpondendi adigens, *Vis ſanus fieri?* Quid igitur ille? non ægrè tulit; non indignatus eſt: non dixit ad eum, qui interrogauerat, vides me paralyſi reſolutum: noſti longum tempus inualetudinis meæ; & interrogas, num velim ſanus fieri? veniſti, vt meas irrideres calamitates, atque alienis malis illuderes? Non enim vos fugit quàm puſillo animo ſint qui ęgrotant; etiamſi vnum annum in lecto decubuerint. Cum verò ad triginta & octo annos morbus perueniſſet; quomodo non erat veriſimile conſumptam eſſe philoſophiam in tam longo tempore expenſam? Verumtamen ille nihil eiuſmodi neque dixit, neque cogitauit: ſed magna cum animi æquitate reſponſum dat, & inquit: ***Profectò Domine, ſed hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in Piſcinam.*** Vide quot, & quanta ſimul concurrebant, atque hominem oppugnabant, morbus, & paupertas, & ſolitudo, cum nemo aſſiſteret, eiuſq; curam gereret. *Dum venio enim ego; alius ante me deſcendit.* Id verò cęteris omnibus miſerabilius, quodq; vel lapidem ipſum poſsit inflectere. Videre enim mihi videor hominem ſingulo quoque anno repentem & accedentem ad labium piſcinæ, & ſingulo quoq; anno pendentem in ipſomet aditu bonæ ſpei. Neque verò, quod grauius eſt, hæc duos, aut tres, aut decem annos pertulit, ſed vſque ad triginta & octo. Et omnem quidem adhibebat diligentiam: fructu autem excidebat: & curſus quidem peragebatur; huius autem curſus premium ad alium perueniebat, in multis, inquam, illis annis. Huc maior illa moleſtia accedebat, quòd alios liberos abire videbat. Noſtis enim ita fieri ſolere; vt tunc malorum noſtrorum acerrimum ſenſum capiamus; cum alios iiſdem malis affectos, liberatos abire viderimus. Propterea, & pauper, cum alterum videt diuitijs abundantem; tunc magis ſuam ſentit paupertatem; & ægrotus tunc magis excruciatur, cum multos videt, qui morbo laborarint, eum iam depoſuiſſe, ſibi autem nihil bonę ſpei ſupereſſe. In aliorum enim ſecundis, atque ex ſententia fluentibus rebus noſtras manifeſtius intuemur calamitates. Quod quidem illi tunc eueniebat. Verumtamen & cum morbo, & cum paupertate, & cum ſolitudine tandiu depugnans, & alios videns liberari, & ſe ipſum quidem ſemper aggredi, & curſum inſtituere, numquam autem compotem fieri, neque poſthac rurſus ſperans à calamitate liberari; non ideo tamen diſceſsit, ac deſtitit; ſed ſingulo quoque anno currebat. Nos autem, ſi quid ſemel à Deo precati

cati

cati non accepimus; confeſtim diſſoluimur, & in extremam quamdam ægritudinem incidimus: quamobrem precationem omittimus, ſtudium remittimus. Poſſumus ne igitur ſatis pro merito vel Paralyticum laudare, vel noſtram condemnare negligentiam? Etenim quanam ſimus excuſatione digni, qua venia; cum illo triginta & octo annos perdurante, nos tam cito decidamus? Quid igitur Chriſtus? vbi oſtendit dignum eſſe illum, qui curetur, iureq; ſe ad illum præ alijs venire, ait ei, *Surge, tolle grabatum tuum & ambula*. Vides quàm ei nullum triginta & octo anni detrimentum attulerint; quoniam caſum ſuum patienter tulerat? Anima enim ipſius in tam longo tempore maiores in philoſophia progreſſus fecit, in calamitate, tamquam in fuſorio vaſe probata: & maiore cum gloria curationem reportauit. Non enim angelus, ſed ipſemet angelorum Dominus illum ſanauit. Cur autem præterea, vt ſuum ſibi lectum tolleret, imperauit? vnam quidem præcipuè, ac primam ob cauſam, vt in poſterum liberaret Iudæos à legis obſeruatione. Sole enim in conſpectum ſe dante, non erat vlterius lucernæ adhærendum: & patefacta veritate non iam erat amplectenda figura. Propterea ſi quando ſoluebat ſabbatum; maximum in eo die ſignū edebat; vt ipſa excellens miraculi magnitudo videntes obſtupefaciens paulatim illam ocij, & ceſſationis obſeruationem labefactans auferret. Deinde verò vt obſtruat ora illorum impudentia. Nam quoniam in iudicandis miraculis malitiosè agebant, & gloriam rerum quæ gerebantur, calumnijs obſcurare conabantur; idcirco tamquam tropheum quoddam & argumentum ſanitatis indubitabile illam lecti geſtationem præferre ipſum iuſſit, ne quod in cæco dicebant, in hoc quoque dicerent. Quid autem in illo dicebant? *Hic eſt, non eſt hic: ipſe eſt.* Ergo ne talia quædam in hoc etiam dicant; lectus altè ſublatus accuſator fit illorum impudentię. Licet præterea tertiā quamdam cauſam afferre, nihilo ijs, quæ dictæ ſunt, leuiorem. Nam vt intelligas non artem humanam, ſed diuinam potentiam fuiſſe, quæ totum illud præſtiterit; ſuum ipſi lectum geſtandum iniunxit, veræ, atque integræ ſanitatis maximam & perſpicuam demonſtrationem præbens: vt ne quis blaſphemorum illorum diceret paralyticum ſimulatè, & Chriſto gratificantem effinxiſſe tenuis cuiuſdam ambulationis ſpeciem. Propterea onus illi ſuis ferendum humeris iniunxit. Non enim, niſi benè illi membra conſolidata eſſent, & articuli probè fixi, tantam molem portare humeris potuiſſet. Ad hæc omnia illud quoque accedit. Oſtendebat enim ſimul ac Chriſtus iuſſit, omnia fieri, & diſceſſum morbi, & reditum ſanitatis. Etenim medici quidem tametſi morbis liberent, non tamen ſubitò ægrotos reducere ad ſanitatem valent: ſed longo pariter tempore egent ad inſtaurationem; vt reliquiæ morbi paulatim è corpore expellantur, atque eijciantur. Chriſtus autem non ita: ſed eodem temporis momento, & à morbo liberauit, & ſanitatem reſtituit, & nullum intermedium interceſſit tempus: ſed ſimulatq; ex ſancta illa lingua prodijt ſacra vox,

Ioan. 9.

Digitized by Google

cra vox, & morbus à corpore aufugit, & verbum euaſit opus, & tota inualetudo vndiq; profugit. Et quemadmodum ancilla quæpiam ſeditionem mouens, cum primum dominam ſuam viderit, comprimit ſe, reditq; ad conuenientem modeſtiam; ita etiam natura corporis, perinde atque ancilla quædam tunc ſeditionem mouens, & inducens diſſolutionem, poſtquam dominum ſuum ad ſe accedentem vidit; ad ſuum redijt ordinem, ſuumque modum atque decus recepit. Atque hæc omnia vox ipſa præſtitit. Non enim nuda erant verba, ſed verba Dei, de quibus ſcri-

Fortè Eccleſ. 42. ptum eſt, *Potentia opera ſermonum eius*. Etenim ſi hominem cum non eſſet, fecerunt; multò magis putrem, & paralyſi laborantem reſtituent. Hoc loco aliqua prorſus cum voluptate interrogauerim eos, qui curioſè verſantur in perſcrutanda eſſentia Dei, quomodo coiuerunt membra illa? quomodo ſolidata ſunt oſſa? quomodo temperamentum illud ventris reſolutum conualuit? quo pacto nerui remiſsi rurſus contenti extiterunt? & deiecta facultas exurrexit, & erecta eſt? At non poſſunt modum hunc dicere. Ergo admirare tantum ac ſuſpice id quod geſtum eſt: modum autem curioſè ne inueſtiges. Quoniam igitur Paralyticus, quod iuſſus eſt, fecit, & lectum ſumpſit; videntes illum Iudæi dicunt: *Sabbatum eſt: non licet tibi tollere grabatum tuum in Sabbato*. Cum adorare par eſſet eum, qui hoc effecerat, cum admirari factum; illi verò de ſabbato diſſe-

Matt. 23. runt; verè excolantes culicem, camelum autem glutientes. Quid igitur ille? *Qui me ſanum fecit; ille mihi dixit, tolle grabatum tuum, & ambula.* Vides gratum hominis animum? agnoſcit medicum, & fatetur; & dignum inquit eſſe legiſlatorem, cui præcipienti fides habeatur. Et quemadmodum illos cæcus argumento concluſit, ita & hic. Quomodo autem

Ioan. 9. ille concluſit? Dicebant ei, *Non eſt hic homo à Deo: quia ſabbatum non cuſtodit*. Quid igitur ille? *Scimus, inquit, quòd peccatores Deus non audit: hic autem aperuit meos oculos*. Quod autem affert; tale quiddam eſt. Si tranſgreſſus eſſet legem, peccaſſet; quod ſi peccaſſet, non tantum, quantum potuit, potuiſſet. Vbi enim peccatum; ibi non eſt locus demonſtrandæ potentiæ. At potuit: non ergo peccauit tranſgreſſus legem. Eodem modo & hic argumentum concludit. Nam cum inquit, *Qui me ſanum fecit*; hoc ſignificauit, hunc eſſe, qui potentiam demonſtrauit, idcircoq; minime dignum eſſe, qui crimine violatæ legis arceſſatur. Quid igitur hi? *Vbi eſt ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatum tuũ & ambula?* Vide amentiam atque ſtuporem: vide animum tumentem arrogántia. Inuidentium enim oculi nihil ſincerè vident, ſed illud tantummodo, vnde capere anſam poſſunt. Itidem & hi: cum ille, qui curatus erat, vtrumq; faſſus eſſet, & curatum ſe eſſe & iuſſum tollere grabatum; illud quidem ſilentio prætererierunt, hoc autem protulerunt: occultarunt quidem miraculum; prætendunt autem ſabbati diſſolutionem. Non enim dixerunt, vbi eſt qui te ſanum fecit? Sed hoc reticentes dixerunt: *Vbi eſt qui dixit tibi, tolle grabatum tuum?* Et ſubiungit ſcriptura: *Is autem neſciebat. Ieſus enim*

Digitized by Google

enim declinauit à turba conſtituta in loco. Id verò maxima eſt hominis illius defenſio, id Chriſti prouidentiæ demonſtratio: vt cum audieris paralyticum hunc non eodem modo, ac centurio, ſuſcepiſſe aduenientem Dominum, neque dixiſſe, *Dic verbo,& ſanabitur puer meus*; non ipſum infidelitatis nomine condemnes; quandoquidem illum non cognoſcebat. non enim noſcebat, quis nam ille eſſet: & quomodo, cum antea non nouiſſet, accuſari poterat, quòd non crederet? Propterea dicebat: *Hominem non habeo, qui mittat me in piſcinam*. Quòd ſi eum nouiſſet; profectò piſcinæ, ac deſcenſionis illius mentionem non feciſſet, ſed eo modo curari poſtulaſſet, quo & curatus eſt. Sed putabat vnum eſſe è multis, ac nudum hominem: atque idcircò vſitatæ meminit curationis. Rurſus autem Chriſti prouidentiæ hæc demonſtratio eſt; quòd curatum reliquerit, neque ei ſeſe patefecerit. Etenim ne ſuſpicari queant Iudęi, ſubdititium eſſe hunc teſtem, atque hæc ideo dicere, quòd pręſentis Chriſti ſuaſione moueretur; illius ignorantia, & abſentia Chriſti huic ſuſpicioni locum non dabant. Inquit enim Euangeliſta: *Neſciebat quis eſſet.* Idcirco eum, qui curatus erat, ſolum, ac ſine ſocio mittit; vt quemadmodum cuperent, ſeorſum adhibentes, examinarent quæſtionibus factum, & cum certam rei demonſtrationem accepiſſent, ab importuno furore ceſſarent. Propterea ipſe quidem nihil loquitur; eam verò quæ per res ipſas fit, demonſtrationem eis prębet: quoquo verſus manifeſtiſsimam emittens vocem, & tuba qualibet clariorem. Ita enim nulli iam ſuſpicioni erit obnoxium teſtimonium illud, *Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum*, & cetera quæ ſubiunxit. Paralyticus fit Euangeliſta, magiſter infidelium, medicus & preco ad illorum dedecus & condemnationem: medicus non voce, ſed operibus; non per ſermones, ſed per res ipſas. Manifeſtam enim, & de qua ambigi non poſſet, præſeferebat demonſtrationem: & quod dicebat, ipſo corpore oſtendebat. *Inuenit eum Ieſus, & dixit illi: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Vidiſti medici ſapientiam, vidiſti prouidentiam; non ſolum à præſenti morbo liberauit, ſed etiam munit in poſterum, idque peropportunè. Nam dum ille iaceret in lecto; nihil eiuſmodi dixit, non illi peccata in memoriam reuocauit. Moroſus enim quodammodo, ac deſperationis plenus eſt ægrotantium animus. Vbi autem expulit inualetudinem, vbi ſanitatem reſtituit, vbi potentiæ, & prouidentiæ ſuæ demonſtrationem opere præbuit; tunc peropportunè conſilium monitionemque adhibet; cum iam dignum ſe operibus ipſis oſtendiſſet, cui fides haberetur. Cur igitur ille abiens manifeſtum ipſum fecit Iudæis? nimirum cupiens eos habere participes verę doctrinę. At illi propter hanc ipſam cauſam illum oderant, inquit, *Et perſequebantur*. Hoc mihi loco mentem adhibete. Hic enim totum conſiſtit certamen. *Propterea illum perſequebantur, quia hęc faciebat in ſabbato.* Videamus igitur, quomodo ſe defendat. Defenſionis enim modus perſpicuum nobis facit, vtrum ille ſit

Matt. 8.

E le ſit

le ſit vnus ſubiectorum, an liberorum, vtrum miniſtrantium, an impe-rantium. Factum illud maximam legis transgreſſionem præferebat.
Num. 15. Olim enim, qui ligna in ſabbato collegerat, propter hoc ipſum lapidibus obrutus eſt, quòd onera portaret in ſabbato. Hoc magnum crimen obijciebatur Chriſto, quòd ſabbatum ſolueret. Videamus igitur, num forte primum veniam petat vt ſeruus, ac ſubiectus, an tamquam poteſtatem habens, & auctoritatem, oſtendat ſe Dominum, atque eum, qui ſuperior ſit lege ac mandata ipſe dederit? Quomodo igitur ſe defendit? *Pater meus*, inquit, *vſque modo operatur, & ego operor*. Vidiſti auctoritatem. Quòd ſi imbecillior, & minor eſſet patre; hoc quod dixerat, tantum abeſt, vt defenſioni aptum ſit, vt maius potius crimen ſit, & grauiori obnoxium accuſationi. Quotieſcunque enim quis illud faciat, quod ſoli præſtantiori liceat facere, deinde deprehenſus accuſetur, ipſe verò ita dicat, quoniam præſtantior fecit, idcirco, & ego feci; non ſolum non expedit ſe ab obiectis criminibus hoc defenſionis modo, ſed etiam maiori reprehenſioni, atque accuſationi obnoxium ſe reddit. Superbiæ enim, & arrogantiæ eſt maiora ſuſcipere dignitate ſua. Ergo Chriſtus etiam, ſi inferior fuiſſet, tantum aberat, vt quæ dicebat, ipſum defenderent, vt potius grauius condemnarent. Verùm quoniam patri æqualis erat; propterea nullam admiſit culpam. Ac ſi vultis, exemplo perſpicuum vobis faciam id, quod dico. Soli Regi licet geſtare purpuram, & diadema in capite, prꝑterea nemini. Ergo ſi exiſtat vnus è multis hunc ornatum geſtans, deinde ad tribunal perductus ita dicat, quoniam Rex huiuſmodi ornatum geſtat, propterea ego etiam geſto; non ſolùm hoc defenſionis modo non ſe liberaret ab accuſatione, ſed maiorem pœnam, ac ſupplicium ſibi accerſeret. Rurſus flagitioſiſsimis hominibus pœnam, ac ſupplicium remittere, vt homicidis, latronibus, ſepulchrorum effoſſoribus, & ceteris, qui talia quædam perpetrare auſi ſunt, ſolius Regiæ largitatis eſt. Quòd ſi Iudex quiſpiam damnatum ſine regis ſententia dimittens, hoc nomine accuſetur, & dicat etiam ipſe, propterea ego dimiſi, quoniam Rex dimittit; non ſolùm hac ratione minimè ſe liberat, ſed etiam maiorem erga ſe iram accendit, & iure quidem. Non enim æquum eſt, cum inferiores in temulentis fortè compotationibus in ſuperiorum auctoritatem irruerint, poſtea ex illorum more, & facto ſibi ipſis parare defenſionem. Maior enim hæc contumelia eſt in eos, qui principatum tenent. Propterea ſiquis inferior ſit; numquam hac ſui defendendi ratione vtetur. Sin autem ſit Rex, & eadem præditus dignitate; fidenter id dicet. Etenim quemadmodum eadem eſt in vtroque excellens amplitudo principatus; ita etiam eadem auctoritas, ac licentia eſſe debet. Quamobrem ſi exiſtat aliquis, qui hac ſe ratione defendat; neceſſe omnino eſt, eamdem dignitatem habeat atque ille, cuius licentiam ad ſuam defenſionem prætendit. Quando igitur Chriſtus hac ratione facti ſui iuſtitiam cum Iudæis differens declarauit; ſine dubio nobis oſtendit eiuſdem ſe eſſe dignitatis

Digitized by Google

tatis cum patre. Ac ſi libet, conferamus allatum exemplum cum verbis
& facto Chriſti. Sit igitur idem, ſoluere pro auctoritate ſabbatum, ac
purpura, diadema, & reorum dimiſsio. Quemadmodum igitur ſoli Regi
illa licent, nemini autem ſubiectorum, ac ſi quis exiſtat eadem faciens, ac
iure faciens, illum quoque Regem eſſe neceſſe eſt; ita etiam hac in re, quo-
niam in conſpectum ſe dat Chriſtus omnia pro auctoritate faciens, ac de-
inde accuſatus patrem prætendit ita dicens, *Pater meus vſque modo ope-
ratur*; neceſſarium prorſus eſt, & hunc æqualem illi eſſe, qui pro aucto-
ritate facit. Non enim niſi æqualis illi eſſet; hoc ſui facti probandi modo
vteretur. Atque vt clarius cognoſcatis vera eſſe quæ dicimus, ſoluerant
aliquando ſabbatum diſcipuli, cum ſpicas vellerent, & comederent in
ſabbato: ſoluit & ipſe nunc. Et illos reprehenderunt Iudęi: reprehende- *Matt. 12.*
runt & hunc. Videamus qualem quidem pro illis defenſionem afferat,
qualem verò pro ſe ipſo; vt ex differentia pręſtantiam, & vim ſuę defen-
ſionis intelligas. Qualem igitur defenſionem pro illis affert? *Non legiſtis
quid fecerit David, quando eſuriit?* Quando enim ſeruos defendendos ſu-
ſcipit; confugit ad conſeruum illorum Dauidem: quādo autem ſe ipſum;
rationem refert ad patrem. *Pater meus operatur & ego operor.* Quam ve-
rò, quæret fortaſſe quiſpiam, operationem dicit? *Nam in ſex diebus re-* *Gen. 2.*
quieuit Deus ab omnibus operibus ſuis. Nempe quotidianā prouidentiam.
Non enim ſolùm protulit creaturam, verùm etiam prolatam tuetur, & fo-
uet: ſiue angelos dixeris, ſiue archangelos, ſiue ſuperiores poteſtates, ſiue
omnia prorſus, quæ ſub aſpectū cadunt & quæ non cadunt; cuncta fruun-
tur prouidentia illius; & ſi deſtituantur efficaci illius actione; diffluunt,
dilabuntur, pereunt. Ergo cum vellet Chriſtus oſtendere ſuum eſſe pro-
uidere, non autem ſibi prouideri, efficaciter agere, non autem agi, & al-
terius efficientiam ſubire; ita dixit, *Pater meus operatur, & ego operor,*
æqualitatem conditionis ſuæ cum patre demonſtrans. Hæc memoria te-
nete, & quàm diligentiſsimè cuſtodite, & contexite philoſophiā morum
cum recto dogmatum habitu: quod & antea hortatus ſum, & nunc hor-
tor, neque finem hortandi faciam. Morum autem inſtitutionem, & phi-
loſophiam nihil æquè adducit, atque hoc in loco ſæpè verſari, & commo-
rari. Nam quemadmodum ſqualens terra ſi neminem habeat, à quo irri-
getur, ſpinis, & tribulis ſcatet; quæ autem cultrice manu fruitur; germinat
& comam fert, & redundat magna fructuum copia; ita ſanè ipſa etiam a-
nima, illa quidem, quæ fruitur irrigatione diuinorum ſermonum, germi-
nat & floret, & circumfluit fructibus ipſius ſpiritus: quæ autem inculta
& in ſqualore, ac ſine eiuſmodi irrigatione dimittitur; ea ſola relinquitur
& ſilueſcit, & multas profert ſpinas, ipſam peccati naturam. Vbi autem
ſpinæ; ibi dracones, & ſerpentes, & ſcorpij, & vniuerſa poteſtas diaboli.
Quòd ſi his verbis non credis; age conferamus eos, qui hoc auxilio carue-
runt, & nos; ac tunc demum videbitis, quantum intercedat interuallum.
Potius autem ipſi nos ipſos examinemus, quales quidem ſimus, dum di-

uina doctrina fruimur, quales autem, cum diu hac priuamur, & caremus vtilitate. Ne igitur tantum lucri profundamus. Hoc enim in loco frequentem eſſe, omnia conciliat bona. Hinc cum diſcedunt, & vir mulieri videtur honoratior & mulier viro amabilior. Etenim mulierem non pulchritudo corporis valde amabilem reddit, ſed animę virtus; non pictura, & fucus, neque aurum, neque veſtes precioſæ: ſed temperantia & probitas, & timor ſtabilis erga Deum. Ad hanc verò, quæ ſub intelligentiam cadit, pulchritudinem comparandam nuſquam alibi accurata & exquiſita prorſus exercitationis ratio adhibetur, prę̨terquam in hoc admirabili, ac diuino Apoſtolorum loco tergentium, ornantium, abradentium ſenectutem peccati, adducentium vigorem iuuentutis, omnem rugam, omnem maculam, omnem næuum eijcientium ex animis noſtris. Hanc igitur & viri, & mulieres ſtudeamus nobis familiarem facere pulchritudinem, vt nobiſcum habitet. Nam corporis pulchritudinem & morbus tabefecit, & temporis longitudo corrupit, & ſenectus extinxit, & mors ingruens totam ſuſtulit. Eam verò quæ in anima eſt, non tempus, non morbus, non ſenectus, non mors, non aliud huiuſmodi quicquam poteſt perdere: ſed perpetuò floret. Et pulchritudo quidem corporis ſæpè ſpectatores ad intemperantiam prouocat. At ea, quæ in animo, ipſummet Deum ad ſui amorem allicit; prout etiam Propheta dixit, Eccleſiam alloquens, *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui: & concupiſcet Rex decorem tuum.* Igitur, ò dilecti auditores, vt amicitiam cum Deo contrahamus, hanc quotidie pulchritudinem curemus, & colamus, ſcripturarum lectione omnem maculam abradentes, precibus, eleemoſynis, mutua concordia: vt rex amator factus noſtrę, quæ in animo, pulchritudinis dignetur nos cęlorum regno: quod vtinam nos omnes conſequamur gratia, & humanitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo Patri gloria, ſimulque Spiritui ſancto nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Pſal. 44.

SANCTI

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS CRHYSOSTOMI

HOMILIA.

Ex negligentia vitioſitatem, ex ſtudio virtutem profi-ciſci, neque vel improbos homines, vel ipſummet diabolum ſatagenti, ac vigilanti poſſe offi-cere, idq́ cum ex multis alijs rebus, tùm ex ijs quæ in Ada & Iob euenerunt, demonſtrari.

NOS quidem nudiuſtertius ſermones de diabolo ad charitatem veſtram faciebamus: alij verò dum huiuſmodi ſermones hic nudius tertius haberentur, in theatris ſedentes, diaboli pompam ſpectabant: cantibus illi intererant impudicorum: vos acroamatis ſpiritalibus intereratis: illi diabolica inquinamenta comedebant: vos vnguento ſpiritali veſcebamini. Ecquis igitur illos à paſcuis depulit? ecquis illos à ſacro grege diſcidit? num & illos diabolus decepit? quomodo igitur vos non decepit? ijdem eſtis homines vos atque illi: ſecundum naturam, inquam: eandem animam habetis vos atque illi, eaſdem habetis cupiditates, eas nimirum, quæ à natura ingenerantur. Cur igitur non in ijſdem vos verſamini atque illi? quoniam non idem veſtrum conſilium atque illorum. Propterea illi quidem in errore, vos autem ſemoti ab errore. Neque verò hæc idcirco dico, vt cri-

mine

Digitized by Google

mine diabolum exoluam, ſed illud ſtudens, vt vos peccatis liberem. Malus eſt diabolus, neque ego etiam inficior, ſed ſibi ipſi malus, non nobis, ſi attentè vigilemus. Talis eſt vitioſitatis natura: ijs ſolùm in quibus ineſt, pernicioſa eſt: contrà virtus non ijs ſolùm in quibus ineſt, verùm etiã proximis prodeſſe poteſt. Atque vt intelligas, qui malus eſt, eum ſibi malum eſſe, qui verò bonus, alijs quoque bonum; afferam tibi teſtimonium

Prou. 9. apud 70. licet paulò alitur.

de prouerbijs. *Fili*, inquit, *ſi malus fueris; ſolus mala perferes: ſin autem ſapiens; & ipſe tibi, & proximo ſapies.* Errantes illi abierunt in theatra; at vos non abijſtis. Maxima hæc ex rebus ipſis demonſtratio', euidens argumentum & ratiocinatio, cui contradici non poteſt, vbique dominari electionem. Hoc ipſo demonſtrationis modo tu quoque vtaris velim: & ſi quem hominem videris qui improbam vitam agat, omnemq́ue vitioſitatem præſeferat, ac tamen Dei prouidentiam cauſetur ita dicens proditam eſſe ab illo naturam noſtram fortunæ, & fati neceſsitati, & dæmonum tyrannidi, omninoque cauſam & culpam à ſe quidem remoueat, transferat autem in ipſum opificem, qui huius vniuerſitatis prouidentiam gerit; os illi obſtruito non ratione, ſed facto, proferens alium conſeruum, qui cum virtute, & probitate viuat. Nihil opus eſt longis orationibus, nihil artificioſa compoſitione, ac ſtructura, nihil ſyllogiſmis; ex operibus ipſis demonſtratio fit: dic ad ipſum, & tu ſeruus, & ille ſeruus: & tu homo: & ille homo: eumdem mundum habitas, ſub eodem cælo, ijſdem alimentis aleris.: cur igitur tu quidem cum improbitate, ille verò cũ virtute viuit? Idcirco etiam Deus improbos bonis permiſceri permiſit, neque aliam quidem improbis terram dedit, in alium verò orbem, quem incolerent, bonos miſit, ſed hos illis miſcuit, magnam vtriſque afferens vtilitatem. Nam boni quidem dum inter eos medios verſantur, à quibus rectè viuere prohibentur, & ad vitioſitatem trahuntur, ac tamen virtutem

1. Cor. 11

amplectuntur; illuſtriores redduntur, & probatiores. Etenim *Oportet*, inquit, *& hæreſes eſſe in vobis, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Ergo propter hanc etiam cauſam improbos in medio verſari ſiuit, vt boni magis eluceant. Vides quantum lucri? neque verò ab improbis lucrum, ſed à bonorum virtute. Ideò etiam ipſum Noe admiramur, non ſolùm quòd iuſtus, quòd perfectus erat, ſed quòd in genere illo hominum peruerſo, atque improbo retinuit virtutem, eo tempore, quo nullum habebat virtutis exemplum, quo omnes ipſum ad improbitatem hortabantur: atque omnibus illis ex aduerſo occurrebat, perinde ac viator quidam magnæ multitudini, quæ impetu feratur, contrariam inſiſtens viam. Propte-

Gen. 6.

rea non abſolutè dixit: *Noe iuſtus, perfectus*, ſed addidit, *In ſæculo ipſius.* In ſæculo illo peruerſo, in ſæculo perdito, ac deſperato, cum nullus erat virtutis cultus. Bonis igitur ab improbis hoc exiſtit lucrum: nimirum quemadmodum & arbores à contrarijs ventis agitatæ robuſtiores fiunt. Ceterum, & improbis ex bonorum admiſtione exiſtit lucrum: reuerentur illos: quæ audent, ita audent, vt latere velint. Neque verò hoc

leue eſt, non ita impudentem habere iniquitatem. Etenim aliorum vita, horum vitioſitatis accuſatrix eſt. Audi quid illi de iuſto dicant: *Grauis* *Sap.2.*
eſt nobis etiam ad videndum. Non leue autem emendationis initium, morderi præſentia ipſius: morderi autem, & perſtringi conſcientiam ab illius præſentia, non paruum impedimentum eſt, quominus licenter, atque effrenatè improbitate vtantur. Vidiſtis, quantum exiſtat lucri, & bonis ab improbis, & improbis à bonis? Propterea non ſecreuit ipſos Deus, ſed inter ſe miſtos eſſe permiſit. Eadem igitur nobis ratio, & in diabolo valet: propter hanc enim cauſam, & illum hic eſſe permiſit, vt te robuſtiorem reddat, vt clariorem faciat athletam, vt maiora ſint certaminum præmia. Igitur cum quis dixerit, cur Deus eſſe diabolum permiſit? hæc ad illum verba dicito, vigilantibus, & attentis non modò nihil illum obeſſe, verùm etiam prodeſſe, non quidem ex illius conſilio, ac voluntate (improba enim eſt) ſed ex illorum fortitudine, qui ipſius improbitate, quò oportet vtuntur. Nam & ad ipſum Iob non ideò ille ſe applicauit, vt ipſum clariorem redderet, ſed vt ſupplantans deijceret: (Idcirco ob hanc ipſam mentem atque electionem improbus eſt) ac tamen nihil iuſto obſuit; ſed potius iuſtus multum lucri ex pugna reportauit. Itaque, quemadmodum demonſtrauimus, & dæmon improbitatem, & iuſtus fortitudinem ſuam patefecit. At enim multos, inquiunt, ſupplantans deijcit: ex ipſorum ſanè infirmitate, non ex proprio illius robore. Nam & hoc iam multis modis demonſtratum eſt. Tuam igitur mentem rectam tene: neque à quoquam vnquam detrimentum capies, ſed etiam maxima lucra reportabis, non ſolùm ex probis hominibus, ſed etiam ex improbis. Hæc enim cauſa fuit, cur, vt antea dicebam, ſimul eſſe, atque inter ſe verſari ſineret Deus, ac potiſſimum bonos cum improbis, vt & illos ad ſuam deducant virtutem. Audi enim quid diſcipulis Chriſtus dicat: *Simile factum* *Matt. &*
eſt regnum cælorum mulieri, quæ acceptum fermentum abſcondit in farinæ *Luc. 13.*
ſata tria. Itaque facultatem fermenti obtinent iuſti, vt in ſuam ipſorum *paulò ali-*
qualitatem improbos conuertant. Etenim pauci iuſti; nam & fermen- *ter.*
tum puſillum eſt: attamen paruitas non impedit, quominus proſit toti maſſæ: quinimò puſillum illud totam farinam in ſe ipſum vertit ob inſitam in ſe facultatem. Ita etiam iuſtorum facultas non in numeri magnitudine, ſed in ſpiritus gratia robur ſuum habet. Duodecim erant Apoſtoli: vides quàm paucum fermentum: totus orbis in infidelitate erat: vides quanta maſſa: verumtamen duodecim illi vniuerſum orbem ad ſe ipſos conuerterunt. Fermentum & maſſa eiuſdem naturæ ſunt, ſed non eiuſdem qualitatis. Propterea inter medios iuſtos ſinit eſſe improbos, vt quemadmodum eiuſdem naturæ ſunt ac iuſti, ita & eandem mentem ac ſententiam induant. Hæc vos in memoria habetote, his obſtruite ora negligentium, atque oſcitantium, ignauorum, refugientium à virtutis laboribus, communem Dominum accuſantium. *Peccaſti, inquit, quieſce, ne* *Eccleſ.21.*
ſecundum peccatum adijcias grauius. Non æquè graue eſt peccare, ac poſt

peccatum

peccatum incuſare Dominum. Inquire auctorem peccati, ac nullum inuenies alium, quàm te qui peccaſti. Vbique bona mente, atque electione opus eſt. Oſtendi hæc vobis non ex nudis ratiocinationibus, ſed ex conſeruis illis, qui in eodem mundo viuunt. Hac tu quoque vtitor demonſtratione. Diſcite hunc demonſtrationis modum; & nemo vos poterit ſyllogiſmis conſtringere. Fornicatur quis; oſtende ipſi alium qui temperanter agat: alieni quis appetens eſt, & rapax; oſtende ipſi hominem, qui eleemoſynam det: cum liuore atque inuidia viuit; oſtende ipſi alium ab hac perturbatione purum: ab iracundia ſuperatur; adduc in medium philoſophicè viuentem. Non enim ſolùm oportet ad veteres narrationes confugere; ſed etiam ex præſentibus capere exempla. Nam vel hodie per Dei gratiam non minora prioribus exiſtunt recta facta. Infidelis eſt, ac falſas eſſe putat ſcripturas, non credit Iob talem fuiſſe; oſtende ipſi alium hominem, qui iuſti illius vitam æmuletur. Sic etiam Dominus de nobis iudicat, conſeruos ſiſtit cum conſeruis, neque ex ſuo ipſius iudicio ſententiam fert; ne quis rurſus dicere aggrediatur, quemadmodum famulus ille, cui creditum eſt talentum, & pro talento accuſationem attulit, *Quia durus es*. Nam cum flendum illi eſſet, quòd talentum non duplicaſſet; adhuc grauiorem culpam admiſit, propriæ ſocordiæ addens accuſationem aduerſus Dominum. Quid enim inquit? *Noui te, quia durus es*. O te miſerum, & infelicem, & ingratum, & ignauum. Cum tua tibi ſegnities accuſanda eſſet, ac demendum quid ex priore peccato; tu verò in Dominum crimen afferens, pro talento peccatum conduplicaſti. Propterea Dominus ſeruos, & ſeruos ſiſtit, vt hi de illis iudicent, atque illi per hos iudicati, non habeant poſt hac, cur Dominum accuſent. Idcirco inquit, *Venit filius hominis in gloria patris ſui*. Vide integram gloriæ paritatem. Non dixit, *In gloria ſimili gloriæ patris*, ſed, *In gloria patris; & congregabit omnes gentes*. Metuendum tribunal, metuendum peccantibus, culpæq́; obnoxijs: nam ijs, qui ſibi ipſis rectorum factorum conſcij ſunt, optabile eſt & iucundum, *Et ſtatuet oues à dextris, & hædos à ſiniſtris*. Etſi & illi ſunt homines. Ecquid igitur cauſæ eſt, quamobrem illi quidem oues, hi verò hœdi? non vt naturæ, ſed vt electionis diuerſitatem interceſsiſſe intelligas. Cur autem qui eleemoſynam nō dant, ſunt hœdi? quoniam animal hoc infructuoſum eſt, neque emolumentum poſſeſſoribus afferre poteſt ex lacte, neque ex fętibus, neq; ex villis: quippè cum ob ætatis immaturitatem nihil tale omnino habeat, quod conferat. Ob hanc igitur cauſam eos, qui nullum eleemoſynæ fructum ferunt, hœdos vocauit, eos autem qui à dextris, oues: ab his enim magnus exiſtit prouentus, ex natura lanæ, ex fœtibus, ex lacte. Quid ergo ad ipſos ait? *Eſurientem me vidiſtis, & aluiſtis; nudum, & cooperuiſtis; hoſpitem, & collegiſtis*. Viciſsim verò ad illos contraria: quamquam ijdem homines hi atque illi, eaſdem acceperant promiſsiones hi atque illi; eadem rectè factorum præmia vtriſque propoſita. Idem ad hos, & ad illos venit; cum eadem

Matt. 25. paulò aliter.

Matt. 25. ſed paulò aliter.

eadem ſua nuditate, & ad hos, & ad illos cum eadem fame, & peregri-
nus ſimiliter. Omnia æqualia illis, atque his. Quomodo igitur non idem
exitus? quoniam electio obſtitit; hæc enim ſola diſcrimen fecit. Propte-
rea illi quidem in gehennam, hi verò in regnú. Quòd ſi diabolus ipſis fuiſ-
ſet peccatorum cauſa; profectò non ipſi, cum alius peccaſſet, & impuliſ-
ſet, puniendi erant. Vidiſti hic & eos qui peccauerunt, & eos qui rectè
officio functi ſunt? Vidiſti quomodo ex eo, quòd conſeruos viderint, ſi-
lentium illis impoſitum? Agedúm ad aliud exemplum orationem con-
uertamus. *Virgines*, inquit, *decem erant.* Rurſus hic electio eſt, quæ re- ***Matt. 25. paulò aliter.***
ctè fecit; rurſus electio, quæ peccauit: vt quaſi è regione & harum pec-
cata videas, & illarum recta facta: comparatio enim facit hæc manifeſtio-
ra. Et hæ virgines, & illæ: quinque hæ, atq; illæ: lampadas hæ habebant,
atque illæ: ſponſum omnes expectabant. Quomodo igitur illæ quidem
introierunt, hæ verò non introierunt? Quoniam hæ quidem inhumanæ
erant, illæ verò mites, & humanæ. Vides rurſus electionem eſſe, quæ ip-
ſius finis, atq; exitus cauſa fuerit, non diabolum? Vidiſti quaſi ex aduer-
ſo æquè conſtituta iudicia & ex ſimilibus ferri ſententiam? conſerui con-
ſeruos iudicant. Vis oſtendam tibi, & èx diſsimilibus fieri in iudicando
comparationem? Nam ex diſsimilibus etiam fit; vt ratio condemnatio-
nis manifeſtior fiat. *Viri*, inquit, ***Niniuitæ ſurgent in iudicio, & condemna- bunt generationem hanc.*** Iam non amplius ſimiles, qui iudicantur. Nam ***Matt. 12. paulò aliter.***
illi quidem barbari, hi verò Iudæi: hi prophetica doctrina potiti ſunt; il-
li verò numquam diuinæ vocis participes fuerunt. Neque verò hoc ſo-
lùm diſcrimen eſt, ſed illud præterea, quòd eò quidem profectus eſt ſer-
uus, hic autem ipſe Dominus: & ille quidem accedēs euerſionem denun-
ciauit: hic verò cælorum regnum euangelizauit. Vtros igitur conſenta-
neum magis erat credere, barbaros, & dementes, & qui numquam diuinæ
doctrinæ participes fuerunt, an eos qui ab ineunte ætate propheticis libris
fuerant innutriti? Nemini obſcurum eſt Iudæos magis: ac tamen contra
euenit: & hi quidem fidem Domino non habuerunt regnum cælorum
prædicanti: illi autem crediderunt euerſionem comminanti; vt magis ma-
giſque & illorum probitas appareret, & horum ingrata contumacia.
Numquid dæmon, numquid diabolus, numquid fortuna, numquid fa-
tum, ac non potius vnuſquiſque ſibi ipſe & vitioſitatis & virtutis cauſa
fuit? Nam niſi ipſi culpam admiſiſſent, ac rei eſſe debuiſſent; profectò
non dixiſſet, quòd ***Condemnabunt generationem hanc.*** An verò non & ip-
ſam Auſtri reginam condemnaturam Iudæos dixit? Non enim dumtaxat
populi populos tunc condemnabunt, ſed vel vnus homo ſæpè integrum
populum; vbi quorum facilior error, & prolapſio erat, hi perſeuerare ab
errore liberi, qui autem omnibus modis ſuperiores eſſe debebant, infe-
riores diſcedere deprehenduntur. Idcirco & Adæ, & Iob mentionem
fecimus. Neceſſariò enim ad illud argumentum rurſus eſt redeundum,
vt quæ reſtant, oratione complectamur. In ipſum igitur Adam diabolus

Digitized by Google

nudis verbis inuaſit: in Iob autem rebus. Nam hũc quidem omnibus diuitijs nudauit, ac liberis priuauit: illi verò nihil ex bonis aut paruum, aut
Gen. 3. magnum abſtulit. Quinimò præſtat ipſa etiam verba expendere, & inſidiarum modum. *Acceſſit, inquit, ſerpens, & dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comedatis ex omni ligno paradiſi?* Hic ſerpens: ibi mulier aduerſus Iob. Iam primum inter conſiliarios magnum interuallum: nam ille quidem ſeruus, hæc verò ſocia vitæ; hæc adiutrix, ille verò ſubiectus. Vides quantum interſit ad veniæ rationem. Nam Euam quidem ſubiectus, ac ſeruus calcauit, illum verò neque particeps & adiutrix deijcere valuit. Sed perpendamus verba. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comedatis ex omni ligno?* Atqui non hoc dixerat Deus, ſed potius contrarium. Attende igitur diaboli malitiam: dixit, quod dictum non erat, vt diſceret quod erat dictum. Quid igitur mulier? cum indicendum illi ſilentium eſſet, cum ſermo cum illo miſcendus non eſſet; ex dementia proloquuta eſt præceptum à Domino datum, atque hoc ipſo validam illi anſam præbuit. Vide quantum malum ſit ſeipſos temerè inimicis, &
Matt. 7. inſidiantibus committere. Propterea Chriſtus dicebat: *Nolite dare ſancta canibus: neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conuerſi dirumpant vos.* Hoc ſanè euenit in Eua. Dedit ſancta cani, porco: conculcauit ille verba: conuerſus laniauit mulierem. Et vide quàm malitioſè agat. *Nequaquam*, inquit, *morte moriemini.* Hic mihi animaduertite, potuiſſe mulierem deprehendere fraudem. Statim enim inimicitiam, & bellum declarauit in Deum: ſtatim ſe contra illum loquendo oppoſuit. Eſto. Antea volenti illi Domini præceptum cognoſcere, tu dixiſti. Nunc contraria dicenti, cur obſecundas? Dixit Deus, *Morte moriemini.* Ille his ſe verbis oppoſuit ac dixit, *Nequaquam morte moriemini.* Quid bello hoc manifeſtius? vnde aliunde oportebat cognoſcere inimicum, atque hoſtem, quàm hinc, quòd contraria loqueretur Deo? Oportebat igitur effugere fallacem eſcam, oportebat à laqueo refugere. *Nequaquam*, inquit, *morte moriemini: ſcit enim Deus, quòd in quacumque die comederitis ex eo; aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut Dij.* Spe maioris promiſſi, bona etiam illa, quæ erant in manibus, eripuit. Promiſit factu rum ſe illos Deos, & in mortis tyrannidem deiecit. Vnde nam mulier credidiſti diabolo? Quid in illo boni noueras? Non ne ſatis tibi erat dignitas legiſlatoris, vt ei fidem haberes, quòd hic quidem Deus, & opifex & effector, ille diabolus, & inimicus? Sed nondum dico diabolum. Serpentem putabas ipſum eſſe ſimplicem. Serpentem igitur, dic mihi, tam ea, quæ inter æquales ſit, colloquutione dignari oportebat, vt præceptum etiam Domini ipſi narrares? Vides potuiſſe deprehendi fraudem: ſed illa noluit: quamquàm Deus quidem idoneas dederat beneficentiæ ſuæ demonſtrationes, & ipſis operibus curam, & patrocinium oſtenderat. Nam & hominem, cum non eſſet, formauit, & animam inſpirauit, & ad imaginem ſuam ipſum fecit, dans illi omnium quæ in terra eſſent, imperium, &

adiutri-

Digitized by Google

adiutricem donauit, & paradiſum plantauit, & vſum illi ceterarum arborum concedens, vnam dumtaxat ne tangeret, interdixit; idque ille vtiliter vetarat. Diabolus autem re quidem, neque paruum, neque magnum protulit bonum, ſed nudis verbis efferens mulierem, & inflans inani ſpe hoc modo decepit. Verumtamen diabolum Deo digniorem, cui fides haberetur, putauit: & quamquam Deus factis ipſis oſtenderat beneuolentiam; nuda ſolum verba afferenti, prætcrea nihil, credidit mulier. Vides ex ſola incogitantia, & negligentia, non ex violentia errorem prodijſſe. Quod etiam vt apertius cognoſcas; audi quibus verbis ſcriptura reprehendat mulierem. Non enim dixit, *Decepta.* ſed *Videns lignum quòd pulchrum eſſet, comedit.* Quamobrem intemperantis aſpectionis crimen illud fuit, non ſolius fallaciæ, quam diabolus intentauit. Victa enim eſt à propria cupiditate, non à demonis improbitate. Quamobrem neque eſt veniam conſequuta: ſed cum dixiſſet, *Serpens decepit me*; nihilominus ſummum ſupplicium tulit. In ipſa enim ſitum erat non cadere. Atque vt hoc manifeſtius cognoſcas, age ad ipſum Iob orationem conuertamus, à ſubiectis ad eum, qui ſuperior diſceſsit, à victis ad eum, qui vicit. Hoc enim maiorem nobis affert alacritatē, vt manus in diabolum intendamus. Illic ſerpens erat, qui decipiebat, & ſuperior diſceſsit: hic mulier, & non vicit: quamquam hæc multò ad perſuadendum inſtructior, quàm ille: & ipſi quidem Iob poſt iacturam pecuniarum, & interitum liberorum, & ſpoliationem bonorum omnium machina admouebatur: illic verò nihil huiuſmodi erat: non amiſerat Adam liberos, nō perdiderat pecunias, non in ſtercore ſedebat; ſed paradiſum habitabat delitiarum, omniq́ue arborum genere fruebatur, & fonte, & fluuijs, & cetera omni iucunditate, ac tranquillitate. Nullibi labor, neque dolor, neque triſtitia, aut ſolicitudines, neque probra, aut iniuriæ, neque ſexcenta alia mala, quæ irruerunt in Iob: ac nihilominus, cum nihil huiuſmodi adeſſet, decidit, & ſubuerſus eſt. An non perſpicuum eſt ex negligentia id eueniſſe? Quemadmodum & cum ille his omnibus imminentibus, & grauantibus ſtetit generosè, & non procidit; non ne perſpicuum eſt id ex vigilantia, atque attentione animi eueniſſe? Vtrinque igitur dilectiſsime maximum lucrare fructum: & fugæ ipſius Adæ immoderatam cupiditatem, cum noueris, quot ex negligentia prodeant mala: æmulare autem Iob cautam modeſtiam, cum intellexeris, quot bona ſtudium germinet. Hunc perpetuò athletam coronatum in animo tute cogita; omnis doloris, atque imminentis periculi ſatis magnam habebis conſolationem. Perinde enim quaſi in communi orbis theatro beatus ille, ac generoſus ſtaret; omnes per ea, quæ ſibi moleſta acciderunt, alloquitur, & admonet, omnia, quæcumque incidant, generosè ferre, nulliq́; ingruentium malorum ſe dedere. Nulla enim eſt humana calamitas, quæ inde capere conſolationem non poſsit. Mala enim, quæ in vniuerſo orbe diſperſa ſunt, ea ſimul concurrentia in vnum illius corpus irruerunt. Ecquæ igitur venia ei danda erit, qui ne partem quidem il-

 lorum

lorum malorum perferre cum gratiarum actione poteſt, quæ in illum incubuerunt, qui non ex parte ſolùm, ſed integrè omnium hominum mala perferens ſe in conſpectum dat? Ac ne orationem exuperantiæ nomine condemnes, age ſingillatim ea, quæ ipſi acciderunt, in manus ſumentes, hoc quod polliciti ſumus, demonſtremus. Ac ſi placet, primum illud, quod omnium maximè intolerabile videtur, in medium adducemus, paupertatem, inquam, & qui ex hac percipitur, dolorem. Hoc enim eſt, quod vbique omnes homines lamentātur. Quis igitur ipſo Iob pauperior fuit, qui vel ijs, qui ad balneas proiecti iacent, & in cinere fornacis dormiunt, omnibusque omnino hominibus pauperior erat? Nam hi quidem etiam ſi laceram, veſtem tamen habent: ille verò nudus iacebat: & quod ſolum à natura veſtimentum habebat, carnis amictum, hoc etiam ſæua putredine diabolus vndiq; corruperat. Rurſus pauperes hi ſaltem ſub tecto in propylæis balnearum habitant, ac ſaltem tugurio quodam teguntur: ille verò ſub dio ſemper pernoctabat, ac ne tenuis quidem tecti ſolatium habebat: & quod maioris ponderis eſt, hi multorum ſibi ipſis facinorum conſcij erant: hoc enim in ſingulis quibuſq; calamitatibus, quæ ipſi acciderunt, obſeruandum eſt, quod ipſius dolorem augebat, atque in maiorem dubitationem adducebat, ne cauſam quidem eorum, quæ ſibi acciderent, cognouiſſe. Hi igitur, quemadmodum dicebam, multa habebant, in quibus ſe ipſos cauſarentur. Neq; verò id leue ad conſolationem eſt, conſcium ſibi eſſe iuſtè ſe puniri. Ille verò & hac deſtituebatur conſolatione: & qui vitæ rationem ſequutus fuerat virtute abundantem; ſupplicia eorum pertulit, qui ſumma quæque ſcelera admiſerunt. Atque hi quidem, qui apud nos pauperes ſunt, iamdiu antea, atque ab initio meditatione inueterauerunt calamitati: ille verò imprçmeditatam ſubijt paupertatem, repentè ex diuitijs deiectus. Quemadmodum igitur cauſam euentorum tenere, magnam vim habet ad conſolationem; ita nihilo minorem, iam ab initio meditatum paupertatem in paupertate degere. Quo vtroq; ſolatio iuſtus ille caruit, nec tamen propterea decidit. Vides ipſum ad extremam ueniſſe paupertatem, vltra quam alia inueniri non poteſt? Quid enim nudo, ac ne tectum quidem habente pauperius fuerit? Quinimo ne ſolo quidem toto fruendi erat Dominus: non enim in terra, ſed in ſtercore deſidebat. Ergo cum te ad paupertatem eſſe redactum videris; cogita iuſti illius calamitatem, ac ſtatim exurges, omnemq; eijcies, quæ te ad ægritudinem adducat, cogitationem. Hæc igitur vna calamitas eſt, quæ omnium ſimul moleſtiarum cauſa eſſe videatur hominibus. Secunda autem poſt hanc, potius verò ante hanc eſt corporis plaga. Ecquis igitur vnquam adeo ægrotauit? Ecquis talem morbum pertulit? Ecquis tantū vulnus accepit? vel alterum, qui acciperet, vidit? Nemo prorſus: paulatim ipſi corpus abſumebatur, & fons vermium vndiq; ipſi ex membris ſcaturiebat: ac perpetuus erat hic defluxus: & multus vndiq; fętor: & corpus, cum paulatim conſumeretur, taliq; putredine tabeſceret, iniucundos reddebat cibos;

Digitized by Google

cibos: quamobrem fame laborabat inuſitata, atq; incredibili. Etenim ne- *Iob 6. a-*
que præbito alimento frui poterat: ***Fœtorem, inquit, video factos eſſe cibos*** *pud 70.*
meos. Cum ergo in morbum, atq; inualetudinem ò homo incideris; ha-
beto in memoria corpus illud & carnem illam ſanctam. Sancta enim erat,
& pura; quamuis talia haberet vulnera. Quòd ſi quis in acie fuerit, deinde
iniuſtè nullamq; veram ob cauſam ſublato in lignum coſtæ lacerentur; ne
id ſibi probro ducat, neque ſe dolori dedat ſanctum illum in mente habẽs.
At enim ſatis magnam, inquies, habebat ille cohortationem & conſolatio-
nem, quòd ſciret Deum eſſe, qui hęc ipſi inferret. Immò verò hoc maximè
ipſum concutiebat, ac perturbabat; quòd iuſtum illum Deum, & à ſe om-
nibus modis cultum, hunc ſecum putabat bellum gerere; neque veram vl- ***Hæc tamẽ***
lam cauſam, cur illa fierent, inuenire poterat. Nam poſteaquàm cauſam ***ſunt in 40***
didicit; vide quantam oſtenderit modeſtiam. Etenim cum dixiſſet ipſi ***cũ ſequen-***
Deus. ***Numquid aliam ob cauſam putas me de te hoc modo ſtatuiſſe; quàm*** ***tia ſint in***
vt iuſtus appareres? Obſtupefactus inquit, ***Manum ponam ſuper os meum:*** ***39.***
ſemel loquutus ſum, & alterum vltra non addam. & rurſus. ***Vſque ad au-***
ris quidem auditum audiui te antea; nunc autem oculus meus vidit te. Idcir-
co viliſſimum me putaui, & extabui: reputaui autem me ipſum terram, &
cinerem. Quòd ſi hoc ſatis eſſe ad conſolationẽ exiſtimãs; poteris tu quo-
que hoc ſolatium habere. Nam tametſi non propter Deum moleſti quid
patiaris, ſed ex hominum iniuria; nihilominus ſi miſsis blaſphemijs gratias
agas ei, qui poteſt quidem prohibere, ſed ſinit inferri probationis tuæ cau-
ſa; profectò quemadmodum ij, qui propter Deum paſsi ſunt, coronantur,
ita etiam tu eaſdem conſequeris mercedes, quòd ab hominibus illatas ca-
lamitates fortiter tuliſti, & ei qui poterat quidem eas auertere, ſed noluit,
gratias egiſti. Ecce igitur, & paupertatem, & morbum, & vtraque vidiſti
quàm præſtantiſsimè fieri poteſt, ferentẽ iuſtum illum. Vis autem, & bel-
lum, quod à natura fit, tibi oſtendam generoſo illi tunc tam ſupra omnem
modum illatum? decem filios amiſit, decem ipſos repentè, ſimul decem, in
ipſo ætatis flore, decem, qui magnam iam virtutem oſtenderant, neq; verò
communi lege naturæ, ſed violenta, ac miſerabili morte. Ecquis talem ca-
lamitatem proferre queat? nemo prorſus. Si quando igitur filium, & filiã
ſimul amiſeris; confugito ad iuſtum illum, omninoq; magnã tibi inuenies
conſolationem. Numquid igitur hæc ſola in illum mala incubuerunt? imò
verò ab amicis deſeri, ac prodi, ſcommatis, contumelijs, amara ironia, irri-
ſione vexari, & ab omnibus accuſari intolerabile quiddam erat. Non enim
æquè calamitatum natura, atque illi, qui calamitates ipſas nobis exprobrãt,
mordere animum noſtrum conſueuerunt. Non modò nemo erat, qui con-
ſolaretur, ſed etiam multi vndiq; imminebant, qui exprobrarent. Et vides
hoc eſſe, quod ille lamentatur, & inquit: ***Ceterum, & vos inuadite in me.*** ***c. 6. apud***
Et vocat ipſos miſericordiæ expertes, & inquit: ***Dereliquerunt me propin-*** ***70.***
qui mei, & famuli mei aduerſus me loquuti ſunt: & filios palearum mearum
vocabam: ipſi verò refugiebant. Alij autem, inquit, expuerunt in me, & fa-

ctus

ctus ſum omnibus in prouerbium: *Et ipſa, inquit, veſtis mea abominata eſt me*. Hæc ne auditu quidem tolerabilia, nedum re ipſa perferantur, paupertas extrema, & morbus intolerabilis & nouus, & incredibilis, filiorum iactura tot, ac talium, & tali modo, probra, & ſcommata, & contumeliæ ab hominibus. Alij exprobrabant, alij verò deſpiciebãt, non inimici ſolũ, ſed etiam amici, non ſolùm amici, ſed etiam familiares, neque verò irridebant ſolum, & exprobrabant, verumetiam abominabantur, neq; vno, aut altero, aut tribus, aut decem diebus, ſed multis menſibus: & quod illi ſoli accidit, ne eam quidem, quæ ex nocte ſolet, habuit conſolationem: ſed diurnarum moleſtiarum maior acceſsio, erat nocturnorum timorum ſpecies. Grauiora enim illum in ſomnis paſſum eſſe ex ipſius cognoſce verbis: *Cur*
Cap. 7. *me*, inquit, *terres per ſomnia & per viſiones horrore concutis*? Ecquis homo tam ferreus, ecquis adamas tot grauia mala pertuliſſet? Etenim ſi horum vnumquodque per ſe ipſum intolerabile eſt; cogita ſimul concurrentia quantum excitarint tumultum. Verumtamen ille omnia hæc pertulit, & in omnibus, quæ ipſi acciderunt, non peccauit, neque in labijs eius fuit dolus. Fiant igitur illius calamitates noſtrorum malorum medicamenta, & ſæua ipſius tempeſtas noſtrarum perturbationum portus: & in ſingulis quibuſque, quæ nobis accidunt, nobiſcum cogitemus ſanctum illum: & animaduertẽtes vnum corpus exantlaſſe totius orbis mala; generosè nos geramus in noſtris malis, quæ pars quædam illorum ſunt, & quaſi ad matrem quandam amore flagrantem porrigentem manus, & filios timore perculſos ſuſcipientem & recreantem, ita ad hunc librũ ſemper confugiamus: & quamuis mala omnium maximè lacrymabilia in nos impetum faciant, hinc eam, quæ ſatis omnibus ſit, conſolationem accipientes abeamus. Quòd ſi dicas illum fuiſſe Iob, ac propterea ferendo parem fuiſſe, te verò illi comparandum non eſſe; maiorem mihi reprehendendi tui, rurſusq; iuſti illius laudandi cauſam prabes. Magis enim tu ferre debueras, quàm ille. Quid ita? quoniam ille quidem ante gratiam, & ante legem fuit: quo tempore nõ exquiſitiſsima erat vitæ ratio, quo tempore non tanta ſpiritus gratia, quo vix exuperabile peccatum, quo maledictum dominabatur, quo mors terribilis erat. Nunc autem certamina omnia facta ſunt faciliora, omnibus illis per gratiæ præſentiam ſublatis. Quamobrem poſt tantum temporis, tantumque profectum, ac tot, tantaque dona à Deo nobis collata, nulla prorſus venia nobis relinquitur; ſi neque ad illam ipſam menſuram peruenire valeamus. Hæc igitur omnia cogitantes, maiores fuiſſe illius calamitates, & cum difficilior eſſet contentio, tunc illum reiecta veſte in certamen deſcendiſſe; quæcumque nobis accidant, generosè feramus, ac magnas idcirco gratias Deo habeamus, vt poſsimus eaſdem ipſas coronas conſequi gratia, & humanitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo Patri gloria vnà cum ſancto ſpiritu nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

AMPLISSIMO CARDINALI ALEXANDRO PERETTO

FLAMINIVS NOBILIVS DEVOTISSIMVS CLIENS S. D.

CVM Cæſar Melotus familiaris tuus, iuuenis optimis præditus moribus, bonis litteris non mediocriter eruditus, ſummaq́; in ſcribendo induſtrię, & aſſiduitatis, tres Sancti Ioannis Chryſoſtomi Homilias à me olim excipienti ſibi magna cum vtriuſque alacritate Latinè dictatas in lucem proferre, atque Amplitudini tuæ dicare percuperet, nec tamen id me aut inſciente, aut inuito, non modò, qui eſt ipſius pudor, & probitas, faciendum ſibi vllo pacto exiſtimaret, ſed etiam aliquam meæ voluntatis teſtificationem extare vellet; optatiſſimam diuturno ſilentio meo, quo tecum, quamuis non de te, eram vſus, finem imponendi, tuiq́; alloquendi oblatam mihi occaſionem putaui: præſertim cum hortator accederet Fabius Blondus tuus, Patriarcha Hieroſolymitanus, vir & ijs virtutibus excellens, vt nullus tantus honos ſit, qui ei non debeatur, & de me in multorum annorum contubernio optimè meritus. Ego Cardinalis Ampliſſime, & ornatiſſime is ſum, qui à multis nominibus magno auunculo tuo SIXTO V. vt homo à ſapientiſsimo, & iuſtiſſimo Principe, vt Chriſtianus à veriſſimo, & ſanctiſſimo CHRISTI Vicario, vt in litterarum ſtudijs à primis ætatis temporibus perpetuo verſatus ab eo, quem præſtantia doctrinæ cum ſingulari virtute coniuncta ad ſummam dignitatem euexerit, ac tamen mediocriter etiam doctos homines magnopere amet, & foueat, ita pendeo, vt ſecundum Dei gloriam omnes meæ cogitationes ad illum referantur, eiuſq́; præclariſſimas actiones ſemper admirer, ſæpè prædicem, nonnunquam etiam miniſterio meo, qualecumque illud ſit, accurato certè, & fideli promouere adnitar. Teſtes ſunt nonnulli ſatis noti labores mei: cui ab illo non parua annuæ penſionis merces eſt perſoluta. Quare cum omnia illi ſecundiſſima, atque ex ipſius deſiderio fluentia ſemper optaui; tùm verò nihil

magis

Digitized by Google

magis, quàm vt ex te, quem in filij loco diligit, cuiusq́ iuuenili vigore ingraueſcens illius ætas ſubſtentanda eſt, vberrimos, ac ſuauiſſimos educationis ſuæ fructus perciperet, ac quem nos, qualiſcunque eſſes, quòd illius pronepos es, neceſſariò amaturi, & culturi eramus, ob tuas ipſius virtutes, atque amabilitatem libentiſſimè etiam amaremus, & coleremus. Audiuit Deus mea, vel potius totius Reip. vota. Nam cùm te SIXTVS *primis illis Pontificatus diebus totius ſacroſancti Collegij precibus impulſus vix annos quatuordecim agentem in ampliſſimum illum ordinem adlegiſſet; perinde atque vnà cum felici illo galero ſuam quoque grauitatem, prudentiam, beneficentiam in te transfudiſſet, ita nihil in te poſtea puerile, ac potius nihil non multò ſupra ætatis captum, ſplendoriſq́ ac decoris pleniſſimum animaduerſum eſt: ſpretiſq́ omnibus honeſtis etiam voluptatibus, quibus vel robuſtiores ætates ſine reprehenſione delectantur, omne tuum tempus, ea tantum parte excepta, quam ſacris officijs, ac laudandarum artium ſtudijs reſeruas, hominum temporibus patere vis, omniumq́ etiam infimorum deſideria, & neceſſitates audis, eaſq́ ad Pontificem defers, ea hilaritate, atq́ animi ſenſu, vt eum tibi diem planè perdidiſſe videaris, in quo non aliquod erga homines extet beneficium, aut officium tuum. Itaq́ id es conſequutus, vt cum Pontifici ne, an vniuerſæ aulæ gratior ſis, dijudicari vix poſſit, illud quidem ſatis conſtet, quocumq́ veneris, publicam eo videri lætitiam veniſſe. Darem hoc meo deuotiſſimi animi erga ſanctiſſimum Dominum, atque Amplitudinem tuam ardori, vt te ad eamdem virtutis, & laudis inſiſtendam viam cohortarer, & per chariſſima quæque obteſtarer, atque obſecrarem. Sed nihil neceſſe eſt. Eas enim egiſti radices, eum veræ gloriæ, atque hominum beneuolentiæ guſtum cepiſti, vt quin in dies altius proueharis, tecumq́ ipſe ad omnem ſummam laudem colligendam certes, abſolutiſſimumq́ illud auunculi exemplar tuis moribus abſolutiſſimè exprimas, ac repręſentes, non ſit dubitandum. Noſtrę quidem apud Deum preces tibi non deerunt; cui tot, tantaq́ bona tua accepta refers, ac meritò refers, & à quo cetera tibi omnia ſunt expectanda. Quod reliquum eſt, offerrem ego tibi omnia mea: ardeo enim cupiditate alicuius tibi operę nauandę, & in ijs, qui tuæ gloriæ inſeruiunt, nonnihil loci mihi vendicandi. Sed & tu domi aptiſſimis ad omnem virtutem inſtrumentis abundas, nec quid ego præſtare poſſim, video. Si quid vnquam poſſem; omnia tibi ita ex animo oblata puta, vt ſi in aliquo pro te ſuſcepto opere vita mihi ſit ponenda, pręclarè mecum actum ſim exiſtimaturus. Vale Princeps maxime, & beneficentiſſime: illudq́ tibi perſuade nihil in iſtis florentiſſimis tuis opibus eſſe optabilius, quam quòd potes prodeſſe quamplurimis, nihil in tuis regijs moribus eſſe laudabilius, quàm quòd poteſtate voluntatem etiam maiorem habes. Deus te nobis incolumem ſeruet, atque in optima iſta ſententia perpetuò manere efficaci illo ſuo propoſito velit.*

Digitized by Google